# Familiaria COLLOQUIA,

Operâ

*CHRISTOPHORI HELVICI*

*D. & Professoris Giessensis olim,*

Ex

ERASMO ROTERODAMO,

Ludovico Vive, & Schottenio

Hasso selecta.



*LONDINI,*

Ex Officina *Rogeri Danielis.*

1652.

# Typographus Ludi-Discipulis Salutem.

*Ecce vobis quod in rem vestram fiet. Latinæ isti Sirenulæ, quâ tam miserè laborare soletis inter familiares colloquutiones, probè consuluit Vir Cl.* Christophorus Helvicus; *dum è tribus Colloquiorum Magistris,* Erasmo, Vive, & Schortenio, *selegit quæ majori vestro inservirent usui confabulationum exemplaria. Hujus in hac re operam exhibeo; habete ei gratias, vobis emolumentum. Interim, si munusculum hoc eâ excipietis curâ, quâ ille obtulerit benevolentiâ, non licebit vobis imposterum vel edere, vel bibere, vel ludere, imò ne vel cogitare non Latinè, non expeditè, non eleganter. Valete, & fruimini.*

# Τῶν Διαλόγων μέρος τρῶτον.

## Συλλαλία. α.

## ἘΓΕΡΣΙΣ ΠΡΩΪΝΗ. Ιο. Η.

Ν. Οὗτος ἐγείρου ἀνάστηθι. Η. Ἐάσον με ἀφεσμὸς ὑπνῶν τοὺς καθεύδοντας. Ι. σὺ ἐσοῦσε ὑπνῶν ἐξανάστα: ὃν μὴ μακρότερον. Η. τίνος ἕνεκα; Ν. ὅπως ἀρωι. Ι. διὰ χαρὰς ὃν τὸ ἐγερθῶσι μᾶλλον ἢ λυπεῖσθαι. Η. ἀλλὰ μικρὸν ἔτι ἐάσατέ με. Ι. τὸ ῥῶν ἤδη ἀπὸ τῆς νυκτὸς μηκέτι ὑποδοχὴ τέον. Η. ἀλλ' ὅμως πρόσλαβε μικρὸν ἡμερῶν ἢ μερῶν ἐκ τῶν πολλῶν. Ν. ἡ ὥρα ἡ ἕκτη ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐστὶν ἤδη σε. Η. χεῖ. Ι. ἀλλ' ἡδὺς ἀλλ' ἐν τῷ μεταξὺ ἢ ἡμέρα σου ἐσκέλλη (ξηρὰ χωθῆ). Η. πῶς ὅτι ταχέως; ὠθεύσομαι μικρὸν μᾶλλον τὸ σφάλμα ἀμύρᾳ μὲ ἔγνωκε τῷ ὠροφύλακος ὡρόσκοπος. Ι. ἐὰ ταῦτα χρὴ ὄντα ἀλλ. Η. ἀνάστα σὺ πρότερον. Ι. τοῦτο μὲν τοιγαροῦν, ἀλλὰ τότε ὕστερον ἔπειτα ἡ χιὼν δὲ περιμενῶ. Η. τοιγαροῦν ἀσκάρεστοι κάμοι γνώμη ἐστὶν, ἢ σὺ δὲ ἄλλ' ἐγὼ λήψομαι τὸν λίχνον ἑτοίμου φανοῦ τότε σοι συμβήσεται ἐν στότου βαθὺ ξενι. Η. ὀλίγον μικρὸν μοι σφαφέρει. λύχνος ἰδοὺ ἔρχεται μοι εἰμὶ οἱ ὀφθαλμοί. Ι. ἄγε δὲ πρό δὲ μὰ σὲ τὸ τελευταῖον ἐκεῖ τοῖς μακάρτωνει ἀπελθόντες. Η. χ', ἐὰν ἐξῇ ἐὰ μέχρι ἐκτῆς ἀκμῆς (ἀκτῖνος) ἔχειν. Ι. καλόν, εἰ γὰρ χερδὸς ἐστιν ἐν ζῇ ἐκτῇ; τὸ λευτᾶν δὲ ἐν καταλειπτέον ἐστὶ τῶν θερμῶν νοσημάτων. Η. μεθ' ἡμέραν ὄντα ἐρεθίζων ἀνάσιμενος. Ι. ἀνάστα τοιγαροῦν ἐξεστὶ ἐσπερασθαρὸς ἑσπέρας ἐστὶ τοῦτο δὲ τὸν ἐστὶ τῶν καλῶν ἕνεκα ἐξεγερθῆναι (ἐξανακλαθέρῃ). Η. μὴ ὅπως ἡμᾶς συμβουλεύειν δοκεῖς; Ι. πῶς οὖν; Η. ὑπακούσω σοι ἐπειδὴ σοὶ μοι (σοι ἐμοὶ) ἐρχήσω ἐὰν, καὶ τότε ταύτῃ τῶν ἄλλων φῶτα βολίων, ὑστέρησον ἐν τῷ ὑπνῷ καλῶς ἀναστήρωσον (ἀναπαύσησον).

Συλ=

# PARS PRIMA

## Colloquium I.

### SURRECTIO MATUTINA.

*Joannes, Henricus.*

*H.* Heus tu, expergiscere. *J.* Sine me ut dormiam. *H.* Non sinam te dormire diutiùs. *J.* Quamobrem? *H.* Quia surgendi tempus est. *J.* Atqui nondum dilaxit. *H.* Lux jam dehinc non est amplius expectanda. *J.* Attamen ante dies non ita multos hora sexta in luce sonuit. *H.* Verum, sed interim dies diminutus est. *J.* Quomodo tam citò? Crediderim potiùs errorem esse horarii. *H.* Mitte ista, ac surge. *J.* Surge tu prior. *H.* Faciam id quidem, sed tum deinde nequaquam te opperiar. *J.* Fac ut lubet, & mihi nota est via. *H.* Verùm ego assumam lucernam; tum tibi erit in tenebris eundum. *J.* Parùm refert: Lyncei mihi sunt oculi. *H.* Age, surge tandem, ut eamus una. *J.* Ah! si liceret adhuc vel momentum stertere. *H.* Ridiculum! Quid breve est in momento? Tandem tamen deserendus erit nidus calidus. *J.* Post semihoralem surgerem, ac libens. *H.* Surge modò: licebit vesperi eò matutiùs lectum repetere. *J.* Itáne consultum putas? *H.* Sic arbitror. *J.* Parebo igitur: ac tum hoc dispendii dormiendo probè resarciam.

## Colloquium II.

# VESTITUS.

*Beatrix, Eusebius, Emanuel.*

Jesus Christus exsuscitet vos à somno vitiorum. Heus pueri, estísne hodie evigilaturi? *Eu.* Nescio quid inciderit mihi in oculos, ita videor eos habere plenos arenæ. *B.* Hæc est tua prima cantio matutina, & bene vetus: aperiam feneſtras hasce ambas, ligneam & vitream, ut feriat clarum mane vestros amborum oculos. Surgite, surgite. *Eu.* Tam multò mané? *B.* Propior est meridies quàm aurora. Vis tu, Emanuel, recentem subuculam? *Em.* Nihil nunc est necesse, hæc est satis munda; eras sumam alteram. Cedò mihi thoracem. *B.* Quem? Simplum, an diploidem (*lænam?*) *Em.* Quem voles; meâ nihil refert. Porrige simplum, ut, si sim hodie lusurus pilâ, minùs graver. *B.* Hic est semper tuus mos; priùs de lusu cogitas quàm de schola. *Em.* Quid tu dicis inepta? Et schola ipsa vocatur Ludus. Da ligulas astrictorias coriaceas. *B.* Fractæ sunt: accipe sericas. Quid jam? vin' femoralia & tibialia, quoniam est æstus? *Em.* Minimè verò: dato fœminicruralia. Quæso, constringe me. *B.* Ebo, tun' habes brachia fœnacea, aut butyracea? *Em.* Non, sed tenui filo consuta. Hui! qualia dedisti astrigmenta exarmata, & lacera? *B.* Memineris te herì perdidisse

# ΙΜΑΤΙΣΜΟΣ

Ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς ἐξεγείρῃ ἡμᾶς ἀπὸ τὸ ὕπνος τῶν πλημμελημάτων (καλῶς ἦλθες· τί παίζοντες ἐστε; ἐξεγερθῆναι μέλλοντες θέλετε; μέλλετε) ἢ ἡμέρα ἐφύπνισεν ἡμᾶς; Συμ. Οὐκ ἀφῆκα ἐμαυτὸν πτωχεῦσαι εἰς τὸν ὀφθαλμόν σου, ἀπὸ τὸν δακρύσαι ἐμαυτὸν τὸ κλαῦσαι ὑμῶν; Β. Αὐτὴ ἐστὶν ἡ ὥρα τῆς ἀφῆς ἡ τῆς μίξης καὶ λύσεως; ἀνοίξω τοὺς ὑμῶν δύο τούτους ἀμφοτέρους, τὸν χαλινὸν ἀπὸ τὸν ὁλκὸν ἀπὸ τὸν ἀπὸ τὸν ἀπὸ τ

λωλεχέτω τ' ἄλλα· ὁ λέχλη ρόφημα; Ἐπ. πῶς γὰρ ἂν
χερς; Β. ἐγὼ δι' ὃ τὸ χόσματος τῆς δψυχῆς κατεγρη-
σά σε πάσχοντα μετὰ τῦ θεράποντος. Ἐπ. οἰκτεί-
σω, μὴ τῦτο ὁ παιδάριόν τῆς ἐστιγμένος. Β. ἀλλὰ μὴν
ἦν ἐγὼ μηνύσω ὅτου πρώτου χαλεσθῆς μὲ
δύσκολη ὀσφρήσεως ἐγὼ δῶς. Ἐπ. τί ἐστιν ἀφροδισιάζεις; Β. ὅτε
θέλεις ἀλλὰ μὴ ἐσμορρον. Ἐπ. παρεκλεῖσθαι μοι τοὺς
ἡλίκους ἐκ τὸ πέδιλον; Β. σώτερον; τὰ τῦ μα-
ζᾶ σφαιρωτῆρος ἱμάτιος, ἀπὸ ἡμάτου ἢ τὰ
τῦ βραχέος; Ἐπ. τὰ κεκαλυμμένα ὑπὸ τὴν
τριλόν. Β. ἐλαιοθηρῶν ἢ ἐλαιοτρόφων; τῶν
λογιζομένων ἐπὶ εἰς; ἀλλὰ καλῶς παίζεις τοῖς
ἐν τοῖς ἀνεῳγμένοις ἀμᾶς διερωτᾷ ἢ ἀφ' ἡσυχί-
ᾳ ἀποκλείετο. Ἐ. ἐνδύσε ἀδοκίμου. Β. τὰ αὐτὰ
παίζεται. Ἐ. ἐνδύσομαι ἐμαυτὸν κεκλιμένος. Β.
εὖ μὲν γὰρ ἀνθρώπος κυρτώσεις ἂν σεαυτοῦ; τῇ
ῥαδιουργίᾳ δὲ ἐς δυσπόλεως μῶν ἐβραχύνοισας μι-
χλιμένως ὁ ἀνύπνης ἐκείνες τῇ προλόδες; μὴ γὰρ
ἄνθρωπος ἐξ τι πεποίησαι μείζων γενόμενος; Ἐ. δεν-
μένε δεσμῷ χωνευτῇ χαλκρῷ διπλῷ, ὁ λοφο-
πώτερον (κοσμιώτερος) ἐστί. Β. σωφρονῶν· ἐλόθησαν τὸ
θῆμα παφυσιγμένα καὶ ἐκτετρῖφθαι σοι ἡ ἡλίψ ἐκ
τῶν παιδῶν· χρῆτον ἐστὶ ἡ ἐπιτρίψω περιεστφιμένη ἢ
περιεστιγμένη σοι χαίρει. λάβε τῶν ἐπιπλοκά-
μων τῶν χειρίδωτον (ἐπιδώρακίδιον) ἀφρόν καὶ ζώ-
νην ὑφαντῶν. Ἐ. κόσμῳ μὲν τῦτο· ἀλλὰ βέρμα-
τι καὶ θηρευτικῶν. Β. ἡμῖν τῆς ἀποφορεῖ. ὅλως
δὲ πῶς τε κατὰ τὸ δοκεῖν σοι πολεῖν; ἢ σὺ χθὲς
ἐλάσκεις ἐθρασύνου τῶν ἐλῶν ἀπὸ δὲ τῆς πόρπης. Ἐ.
ἐκ εὐωνήθην ἄλλως λύσειν, ὃς ἦν τῶν τῶν
φορτικῶν τῶν ἐκ λίνου. Β. λάβε ζῶσον σεαυτὸν ἀμ-
φοτέρωθεν τῶν: κτένισον τῶν πεφαλῶν πρό-
τερον τοῖς ὀδοῦσι τοῖς ἀραιοῖς ἔπειτα πυκνοῖς; πρόσ-
αγον τὸ στιλπνὸν τῇ χρυσῇ κεφαλῇ· νῦν μὴ

disse altera integra. *Em.* Qui scis? *B.* Ego per rimulam ostii observabam te ludentem cum famulo. *Eman.* Amabò, ne id præceptor resciscat. *B.* Imò ego narrabo, quamprimum appellâris me deformem, ut soles. *Eman.* Quid si rapacem? *B.* Quid vis, modò ne deformem. *Em.* Cedò calceos. *B.* Utros? longo obstragulo, an brevi? *Em.* Tectos, propter lutum. *B.* Nempe lutum aridum: pulverem debebas dicere. Sed bene facis; nam in apertis corrigia est fracta, & fibula amissa. *Em.* Indue, quæso. *Beat.* Tu ipse facito. *Em.* Non possum me flectere. *B.* Tu quidem facilè te curvares, desidia verò tua difficilé: an deglutisti ensem, ut circulator ille nudiustertius? adeóne es delicatus? quid facies grandior? *Em.* Adstringe nodo laxo gemino, quod est elegantius. *B.* Nihil minùs: solveretur nodus illico, & decideret tibi calceus è pedibus: præstat vel gemino adstricto, vel adstricto & laxo. Sume tunicam manicatam, & cingulum textile. *Em.* Minimè id quidem, sed coriaceum venatorium. *B.* Mater vetat. *Vi*[illegible] *Et tu* fieri fregisti aciculam fibulæ. *E.* Non poteram alioqui dissolvere. Da ergo illud puniceum ex lino. *B.* Cape, cinge te cinctu Gallico: pecte caput priùs radiis rarioribus, mox densioribus; apta pileum vertici, ne in occipitium rejicias more tuo, aut in frontẽ & oculos. *E.* Prodeamus jam tandem.



*B.* Quid

*B.* Quid? illotis manibus & facie? *Em.* Istâ tuâ molestâ curiositate taurum jam enecâsses, nedum hominem: Videris mihi non puerum vestire, sed sponsam. *B.* Eusebi, affer pollubrum cum urceolo aut guttumio; funde alcius. Stilla potius ex epistomio, quàm profundas. Elue sordes istas ex nodis digitorum: ablue os, & gargariza; frica benecilia & palpebras, tum glandulas sub auriculis duriter; cape linteum, exterge te. Deum immortalem! de omnibus sigillatim es admonendus: nihilne ipse tuâ sponte faceres? *Em.* Vah! nimium es importuna, & odiosa! *B.* Et tu nimium scitus puer ac formosulus. Flecte jam genua, & recita precationem Dominicâ, & preces alias, ut est tibi in more, antequam pedem ponas extra cubiculum. Vide, mi Emanuel, ut de nulla alia re cogites, dum oras. Mane paulisper, appende sudariolum hoc de zona (cingulo) ad nares emungendas & purgandas. *Em.* Sumne satis ad arbitratum tuum compositus? *B.* Es. *Em.* Ad meum minimè, quoniam jam tandem ad tuum. Ausim facere [illegible] integram vestiendo consumsisse. *Bas.* Quid [illegible] eras aliòquin iturus? quid acturus? fossurus credo, aut araturus. *Em.* Quasi desit quod agam. *B.* O magnum virum, vehementer in nihil agendo occupatum! *Em.* Non hinc abis cavillatrix? Abi, aut ego te abigam hoc calceo, aut calanticam tibi detraham de capite.

Collo-

Β. Τί, ἀντιπαλαίειν ὡσπερ ἀνδρείοις; Ε. Τοῦτο μὲν οὖν
ὀκνηρὸν περιεργάζεσθαι τὸν ἐν ἡδονῇ ἀσκεῖν ἀνα-
μίμνησκε ἄνθρωπον· δοκεῖς μοι δ' ἄν σοι καὶ ἀμφι-
ἐννοῆσαι (δύνασθαι) ἄλλα νυμφίῳ Β. φέρε τὸν γέ-
τηρα μετὰ τῆς προσηκούσης ἀσκήσεως, ἵνα μὴ ὑγ-
ηλότερον σώζηται μᾶλλον ἐκ τῆς ἐναντιώσεως ἢ
προθέσεως ἐκ τῶν ἐναντίων τούτων ἐκ τῶν κρυ-
βόντων τὸν ἐπιπλέον· ἐκκλίνοντα τὸ τοιοῦτον χαλε-
παίνειν· ἐντεῦθεν καὶ λοιδορεῖσθαι καὶ τὰ βλα-
σφημεῖν καὶ τότε τὰς ἀρετὰς ὅτε τῶν ἐναντίων
ῥώμη, λάβε δὴ μοι καὶ ἀτόμαβον σεαυτῷ· ὧδε
ἀθλήσεις περὶ τούτων· κατὰ μέρος γὰρ ἐπιτρέ-
ψεις· ἆρ' οὖν τὸ σῶμα ἀσκεῖς ποιήσεως ἕνεκα; Ε. φεῦ·
ἥκιστα ἔγωγε. καὶ σύ; Β. καὶ οὐ πάνυ κομ-
ψὸν καὶ εὐμορφίας πάνυ μέλον νῦν τὰ μάλιστα καὶ
ἀπαγγελεῖ τῶν ἀρετῶν καὶ τῶν κρειττόνων καὶ
ἄλλας προσευχὰς καλῶς ἐπιδεικνύσθαι (ἐπισ-
τῆσαι), ἐξαίφνης τὸν πόδα ἔξω τῆς κοίτης νυστ-
χε (ὀρᾷ) ἐμμανῶς εἰς μὲν ἐν περὶ ἑβδόμης ἄλλης ἀπο-
λογίας ἐν τῷ προστυχόντος μένε ὀλίγον, ἐξαρκήσον
τοῦ καιροῦ ἐπιδεῖξαι τὴν ζώνης ἢ ζωναρίου, εἰς τὸ τῆς
μυκτῆρας ἀπομύττειν καὶ καθαίρειν. Ε. εἰμὶ νῦν
κενὸς κατὰ (πρὸς) τὸ δέλημα σε κεκαλλωπι-
μένος; Β. ἔᾳ Ε. πρὸς τὸ ἐμοὶ μὴ δόκει ἆρα ὅτι ἡ
τὸ τελευταῖον πρὸς ἐμὲ σὸν. τολμήσω μὲν οὖν
περὶ δόσιν ποιήσασθαι ὡραῖμε ὁλοκλήρου ἐν τῷ ἐν
δύσεσι ἀνελωτέ ναι. Β. τί ἐὰν καὶ δύο; πῶς ἂν
λος ἀπέλεις σόμωθι; τί ποιήσεις; ὀρύξῃ σ-
μαι ἢ ἀροτριώσεις. Ε. οἷοι εἰ ἐξέλιπε ὅτι ὀρύ-
σω Β. ὦ μέγας ἀνήρ, σφόδρα ἐν τῷ μηδὲν ποι-
εἰγωσκολίζω. Ε. ἐκ ἐντεῦθεν ἀπέρχη σκῶ-
τιχη; ὅσῃ ἢ ἐγὼ σε ἀπελάσω τοῦτο τῷ πεδίλῳ
ἢ τῶν καλλιπρώων σοι ἀφαιρεθήσω ἀπὸ τῆς κεφα-
λῆς.

# ΛΑΣΠΑΣΜΟΣ ΠΑΡΙΝΟΣ

Παῖς. Μαστὴς. Μητέρα.

Σῶσας ἔσω πάντες μου, χαῖρε μητέρα μου; εὐχομαι
ὑμῖν θυτυχῆ τοῦτην τὴν ἡμέραν, φίλοι, ὅλον δ=
μὶν εὐχομαι χρόνον ἀλειφορία με π. ἐξ μὲ σοῦ σώ=
του. ἔστε δὲ, μὴ στοχάζεσθε ἐξ ὑπερμάχου δεῖς
ἄρετης. Μ. φυλαξόμεθα σε ὁ χρ. φῶς μ. ἡ τοιᾶδε
ἐλευθερίας μεθ' ποίας ἔρεις; πῶς τοῦτη τῇ ἡμέ=
ρᾳ ἀνέπαυσεν; Ρ. ὑπὸ σκιᾷ. ἡσύχως ὑπνώσομεν. Μ. χω
ρὶς λύπης ἐκοιμήθη ἐν σκηνῇ τὸ ἐνδόξου ἐναν=
Ρ. κατὰ τὸ μεσονύκτιον ὅπως ἐφύτρωσεν ἐκ
ἀλλήλης τῆς κεφαλῆς. Μ. ἐκλαμπρότερος ἐν τῷ
ἀστοκλαλήτᾳ, ἡ ὑπὸ σκιᾷ, ἐν μέσῃ τῆς κεφαλῆς;
Ρ.

## Colloquium III.

## SALUTATIO MATUTINA.

*Puer, Pater, Mater.*

SAlvus sis, mi Pater; salve, mea mater; precor vobis felicem hunc diem, germanuli; propitium vobis opto Christum, sororculæ. *Pat.* Mi fili, suspiret te Deus, evehat ad ingentes virtutes. *M.* Servet te Christus, mea lux. Quid agis, mea dulcedo? quid vales? quomodo hâc nocte quievisti? *Pu.* Rectè valeo, & placidè dormivi. *M.* Christo gratia, proprium hoc velit tibi esse. *Pu.* Ad mediam tamen noctem excitatus sum è dolore capitis. *M.* Me miseram & perditam, quid narras? quâ parte capitis? *Pu.* Ad sinciput. *M.* Quamdiu? *Pu.* Vix octavâ parte horæ: postea redormii, nec sensi ampliùs. *M.* Respiravi, nam exanimâras me. *Pu.* Bene sit tibi. Isabellula para mihi jentaculum. Ruscio, Ruscio huc, catelle festivissime: en ut caudâ adulatur! ut se in posteriores pedes erigit! Quomodo habes? quomodo vales? Heus tu, adfer panis bucceam unam aut alteram, quam ei demus: videbis lusus scitissimos. Non esuris, mihi ne edisti hodie? profectò plus est in cane isto intelligentiæ, quàm in illo mulione crasso. *Pa.* Tuliole mi, lubet mihi tecum paulispet confabulari. *Pu.* Quid, mi pater? nam nihil mihi accidere potest suavius quàm te audire. *Pat.* Hic tuus Ruscio, éstne bestia an

homo? *Pu.* Bestia, ut puto. *Pat.* Quid tu habes cur sis homo, non ille? tu edis, bibis, dormis, ambulas, cursitas, lusitas; hæc ille omnia. *Pu.* Atqui ego sum homo. *Pa.* Quomodo id cognoscis? quid nunc habes plus quàm canis? *Pu.* Ego loqui possum, ille nequaquam. *Pa.* Recté. Sed unde est tibi loquendi facultas, quâ ille destituitur? *Pu.* Nescio. *Pat.* Vides ergo te nondum nôsse quid ture sis, & quomodo à bestia differas. *Pu.* Unde igitur id cognoscam? *Pa.* Si obtemperabis, faxo ut non solùm hoc, sed & plurima alia, tam cœlestia quàm elementaria, conspicua & inconspicua, mirabili cum jucunditate cognoscas, & multis aliis hominibus non tantùm scientiâ, sed etiam morum elegantiâ, & vitæ ratione, virtutumq; ornamento præstes. *Pu.* Obsecro, mi pater, effice id primo quoq; tempore. *Pa.* Fiet, si eas quò eunt bestiis similes, redeunt culti homines. *Pu.* Ibo multò lubentissimè: sed ubi id est? *Pa.* In ludo literario. *Pu.* Nulla est in me ad rem tantam mora. *Pa.* Nec in me. Isabellula, audin'? da huic jentaculum in cistellam. *Isab.* Et quidnam? *Pa.* Frustum panis butyro illitum, vel ficus aridas, aut uvas passas pro obsonio; sed insolatas, nam alteræ illæ viscosæ inficiunt puerorum digitos & vestes, nisi malit cerasa, vel pruna oblonga. Infer brachiolum cistellæ, ne excidat.

Collo-

## Colloquium IV.

# ANIMA HERILIA.

## Colloquium IV.

## JUSSA HERILIA.

*Rabirius, Syrus.*

Heus, heus furcifer! Jamdudum rauceſco clamore, nec tu tamen expergiſceris. Videre mihi vel cum gliribus certare poſſe. Aut ocyùs ſurge, aut ego tibi fuſte ſomnum iſtum excutiam. Quando crapulam heſternam edormieris? Non te pudet, ſomnium hominis, in multam lucem ſtertere? Qui frugi ſunt famuli ſolent exortum Solis antèvertere, curaréq; ut herus ſurgens reperiat omnia parata. Ut ægrè divellitur à nido tepefacto cuculus! Dum ſcalpit caput, dum diſtendit nervos, dum oſcitat, tota abit hora. *Syr.* Vixdum diluxit. *R.* Credo, tibi: nam tuis oculis adhuc multa nox eſt. Tibi nox adhuc eſt concubia. *S.* Quid me jubes facere? *R.* Fac ut luceat foculus; verre pileum ac pallium; exterge calceos & crepidas: Inverſas caligas primùm intus purga ſcopis, mox foris: Deinde ſuffitum aliquem facito purgando aëri: Accende lucernam: Muta mihi induſium, ac ad ignem fumi expertem ficca lotum. *S.* Fiet. *R.* Atqui move te ocyùs: jam hoc te feciſſe oportuit. *S.* Moveo. *R.* Video, ſed nihil promoves. Ut incedit teſtudo! *S.* Non

possum simul sorbere & flare. R. Etiam sententias loqueris, carnifex? Tolle matulam. Compone lecti stragulas; revolve cortinas. Verre pavimentum. Verre solum cubiculi. Adfer aquam lavandis manibus. Quid cessas asine? Annus est priusquam accendas candelam. S. Vix reperio scintillam ignis. R. Sic heri condidisti. S. Nec follem habeo. R. Ut responsat nebulo! Quasi qui te habet careat folle. S. Quàm imperiosum habeo dominum! Vix hujus jussis decem expediti famuli fecerint satis. R. Quid ais cessator? S. Nihil; omnia recté. R. Non ego te audio murmurantem? S. Equidem precor. R. Credo, *Pater noster* inversum: precationem, opinor, Dominicam præposteré. Quid gannis de imperio? S. Precor tibi, ut fias Imperator. R. Et ego tibi, ut fias homo ex caudice. Sequere me ad templum usque. Mox domum recurrito: lectos concinnato. Hæc confusa suo quæq; loco digerito. Fac ut niteat tota domus. Matulam defricato. Hæc sordida submoveto ab oculis, fortassis invisent me quidam Aulici. Si quid senfero prætermissum, vapulabis largiter. S. Hîc sanè novi benignitatem tuam. R. Proinde cave, si sapis. S. At interim de prandio nulla mentio. R. Vah! ut hîc mentem habet furcifer! Non prandeo domi: itaq; subboram decimam ad me transcurrito, deduc-

turus

turus me eò ubi ſum pranſurus. *S.* Tibi quidem proſpectum, ſed hîc nihil eſt interim quod edam. *R.* Si non eſt quod edas, eſt quod eſurias. *S.* Nemo ſit eſuriendo ſatur. *R.* Eſt panis. *S.* Eſt, ſed ater & furfuraceus. *R.* Delicias hominis! Te quidem fœnum eſſe oportuit, ſi pabulum decuit te dignum. An poſtulas, ut te aſinum tantum placentis ſaginem? Si faſtidis panem citra obſonium, adde porrum, aut ſi mavis, cepe.

## Colloquium V.

### ALIA.

Eſt tibi abeundum in forum. *S.* Tam procul? *R.* Non ſunt niſi ſex paſſus; tibi pigro ſunt bis mille. Conſulam autem tuæ pigritiæ. Eâdem legatione multa conficies negotia: tu ſupputa in digitos, ut memineris. Primùm, deflectes ad veſtiarium, ac thoracem undulatum, ſi jam perfectus eſt, ab eo recipies. Hinc quæres Cornelium veredarium; is plerumq; eſt in Cervo, ibi potitat: rogabis, ſi quid habet literarum ad me, & ad quam diem ſit profecturus. Deinde, convenies mercatorem pannarium, rogabis meis verbis, ne quid ſolicitus ſit quòd pecuniam non miſerim ad diem præſcriptum; numerabitur propediem. *S.* Quando? ad Calendas

Calendas Græcas? *R.* Rides ganeo? imò ante Calendas Martias. In reditu deflectes ad lævam, & ex bibliopolis (librariis) disces si quid advectum sit novorum libellorum è Nundinis: cognosce qui sint, & quanti venales. Post hæc rogabis Colenium ut mihi dignetur esse conviva, alioqui cœnaturo soli. *S.* Etiam convivas vocas? non habes domi unde vel murem pascas. *R.* Proinde tu, confectis cæteris, abi ad macellum, & eme nobis armum ovillum; eum curabis diligenter assum. Audi'n' hæc? *S.* Plura quàm vellem. *R.* At vide ut memineris. *S.* Vix potero dimidium. *R.* Etiam hîc stas cessator? Jam rediisse oportuit. *S.* Quis possit unus tot rebus obeundis sufficere? Deduco ac reduco, sum illi à scopis, à pedibus, à libellis, à rationibus, à jurgiis, à legationibus; postremò, non videor illi sat occupatus, nisi sim & coquus.

## Colloquium VI.

## EUNTES AD LUDUM LITERARIUM.

*Cirratus, Prætextatus, Titivillitium, Vetula, Teresula, Oluscularia.*

Quid tibi videtur? éstne tempus eundi ad ludum? *P.* Planè tempus est. *C.* Non satis

satis teneo viam: credo esse in illo vico proximo. *P.* Quoties illuc itâsti? *C.* Ter aut quater. *P.* Quando cœpisti eò itare? *C.* Nudiustertius, ut puto, aut nudiusquartus. *P.* Quid igitur? annon id satis est ad noscendam viam? *C.* Non; etiamsi eam centies. *P.* Ego verò vel si semel, nunquam deinceps aberravero. Sed tu vadis invitus, & ambulas lusitans, nec viam adspicis, nec domos, nec ulla signa, quæ te postea admoneant quâ sit flectendum, quæ via tenenda: Ego hæc omnia observo diligenter, quia lubens eo. *C.* Puer hic habitat in proximo scholæ. Heus Titivillitium! quâ itur ad ædes tuas? *T.* Quid vis? venis à matre tua? Mater mea non est domi, ac ne soror quidem; ambæ sunt profectæ ad Divæ Annæ. *C.* Quid illic agitur? *T.* Heri fuerunt encœnia, (paganalia) hodie invitavit eas mulier casearia ad edendum lac coagulatum. *C.* Et tu cur non ibas unâ? *T.* Relictus sum hîc custos domûs; frater meus parvulus illuc abductus est. Sed pollicitæ sunt, se de reliquiis allaturas mihi partes in quasillo. *C.* Quin tu igitur manes domi? *T.* Continuò revertar, nunc prodeo lusum cum filio hujus cerdonis: vultis & vos venire, & talis ludere? *C.* Eamus sodes. *P.* Minimè verò id quidem. *C.* Quidni? *P.* Ne vapulemus. *C.* Vah! non memineram. *T.* Non vapulabitis. *C.* Quî scis?

*T.* Quia

*T.* Quia magister vester herì perdidit ferulam. *C.* Hem, quomodo nôsti? *T.* Hodie de domo nostra audivimus eum vociferantem & quærentem ferulam. *C.* Amabò, ludamus parumper. *P.* Tu, si vis, ludito: ego ibo solus. *C.* Ne me quæso apud præceptorem deferas: dic me domi detineri à patre. *P.* Vis mentiri me? *C.* Quidni propter sodalem? *P.* Quia in templo audivi concionatorem affirmantem, mendaces esse filios Diaboli, veraces Dei. *C.* Diaboli verò? apage illum! Deus nobis adsit, & ab illo nos liberet. *P.* Non potes liberari, si ludas cùm est discendum. *C.* Eamus: tu valeto. *T.* Hui! isti non audent paulisper ludere, alioqui cædendi. *P.* Ille est puer perditus, & evadet vir sceleratus. Sed quomodo elapsus est nobis? nec rogavimus quâ sit eundum ad ludum: revocemus. *C.* Abeat in malam rem; nolo sit mihi rursum incitamento ad lusum: percontabimur ab hac vetula. Mater, nostine quâ eatur ad scholam? *Ver.* Juxta eam habitavi ego sex annis, è regione peperi filium natu maximum, & filias duas: transite plateam hanc villæ rasæ, inde est angiportus, tum plateam Domini Veterani, hinc flectite ad dexteram, tum ad sinistram, ibi percontamini; non procul abest schola. *C.* Vah! non poterimus omnia meminisse. *V.* Tetesula, deduc eos ad scholam Philoponi; nam mater hujus est quæ dabat nobis li-

num

num pectendum & nendum. *T.* Quid, malum? Philoponi? quid hominis eſt Philoponus? quaſi ego nôrim: illúmne dicis qui reſuit calceos juxta cauponam viridem? an præconem in vico Gigantis, qui alit equos meritorios? *V.* Sat ſcio, nunquam tu nôſti ea quæ opus ſunt, ſed ea quæ ad rem nihil faciunt. Inertiſſima, Ludimagiſter eſt ſenex ille procerus, luſcioſus, è conſpectu ædium quas olim habitavimus. *T.* Ah, jam redit in memoriam. *V.* In reditu tranſi per macellum, & emi acetarium, & raphanum, (radiculam) & ceraſa: capé piſcellam. *C.* Duc nos etiam per forum olitorium. *T.* Hâc ibitis breviùs. *C.* Nolumus hâc. *T.* Quî ſic? *C.* Quia momordit me illic canis ex domo piſtoris. Quin & volumus comitari te ad forum. *T.* Reverſa faciam iter per macellum, (nam procul adhuc abſumus) & emam quæ juſſa ſum, poſtquam reliquero vos in ludo. *C.* Nos videre cupimus quanti emas ceraſa. *T.* Nummis ſenis emimus ſingulas libras, ſed quid ad re? *C.* Quia ſoror juſſit me hodie manè ſciſcitari: & eſt illic vetula quædam oluſcularia, de qua ſi emeris, ſcio eam & vendituram minoris quàm alias, & ſuperaddituram nobis vel ceraſa, vel thyrſum (ſcapum) lactucæ; nam filia ejus miniſtravit aliquando matri & ſorori meæ. *T.* Modò ne diſpendium hoc viæ conflet vobis flagris aliquot. *C.* Minimè verò, ſat venimus tempori. *T.* Eamus tantu-

tantulum deambulavero, quæ miſera conſumor ſedendo domi totos dies. *P.* Quid facis operis? An ſedes tantùm otioſa? *T.* Otioſa vero? minimè certè id quidem. Neo, glomero, conglobo, texo. Putas vetulam noſtram paſſuram ut otiet? feſtos dies exſecratur, in quibus eſt otiandum. *P.* Feſti dies num non ſunt ſacri? Quomodo ergo exſecratur illa rem ſacram? *T.* Cenſe'n' me didiciſſe literas, ut hæc poſſim vobis edifferere? Sed ventum eſt in forum olitorium, ubi tandem eſt veſtra vetula? *C.* Id ego circumſpiciebam modó. Eme ab hac, ſed eâ lege, ut det nobis aliquid corollarii. Heus amita, puella hæc de te emet ceraſa, ſi nobis aliquid donaveris. *Ol.* Nihil mihi donatur, omnia venduntur. *C.* Nec ſordes iſtæ donantur tibi quas habes in manibus & collo? *Ol.* Niſi procul hinc faceſſis impudenticule, has ſordes ſentient genæ tuæ. *C.* Quomodo ſentient meæ genæ, cùm tu habeas in manibus? *Ol.* Redde ceraſa furuncule. *C.* Sumo exemplum, nam volo emere. *Ol.* Eme igitur; ad exemplum poterant vel duo ſufficere. *C.* Si placuerint. Quanti? *Ol.* Nummo libram. *C.* Ah! acerba ſunt. Tu venefica vendis hìc populo ceraſa ſtrangulatoria. *T.* Abeamus hinc ad ludum; nam vos argutiis veſtris intricatis me, & detinetis. Jam, ut puto, mea vetula furit domi ob moram meam. Hoc eſt oſtium, pulſate.

Collo-

## Colloquium VII.

## MONITA PRÆCEPTORIS.

*Præceptor, Puer.*

Tu mihi videre non in aula natus, ſed in caula, adeò moribus es agreſtibus. Puerũ ingenuum decent ingenui mores. Quoties adloquitur te quiſpiam cui debes honorem, compone te in rectum corporis ſtatum; aperi caput; vultus ſit nec triſtis, nec torvus, nec impudens, nec protervus, nec inſtabilis, ſed hilari modeſtiâ temperatus; oculi verecundi, ſemper intenti in eum cui loqueris; junctí pedes; quietæ manus: nec vacilles alternis tibiis, nec ſint geſticuloſæ manus, nec mordeto labrum, nec ſcabito caput, nec fodito aures: veſtis item ad decorum componatur; ut totus cultus, vultus, geſtus, & habitus corporis ingenuam modeſtiam, & verecundam indolem præ ſe ferat. *Pu.* Quid ſi mediter? *Præ.* Fac. *Pu.* Siccine ſatís? *Præc.* Nondum. *Pu.* Quid ſi ſic? *Præc.* Propemodum. *Pu.* Quid ſi ſic? *Præc.* Hem ſatis eſt. Iſthuc tene. Ne ſis ineptè loquax, aut præceps: nec vagetur animus interim, ſed ſis attentus quid ille dicat. Si quid erit reſpondendum, id facito paucis, ac prudenter, ſubinde præfatus bonorem; nonnunquam & addito cognomento honoris gratiâ: atque identidem modicè flectas alterum genu, præſertim ubi reſponſum abſolveris: nec abeas niſi præfa-

tus

tus veniam, aut ab ipso dimissus. Nunc age, specimen hujus rei nobis præbe. Quantum temporis abfuisti à maternis ædibus? *Pu.* Jam sex ferme menses. *Præ.* Addendum erat, Domine. *Pu.* Jam sex ferme menses, Domine. *Præ.* Non tangeris desiderio matris? *Pu.* Nonnunquam sanè. *Præ.* Cupis eam revisere? *Pu.* Cupio, Domine, si id pace liceat tuâ. *Præ.* Nunc flectendum erat genu. Bene habet. Sic pergito. Quum loqueris, cave ne præcipites sermonem, aut hæsites linguâ, aut palato immutaveres, sed distinctè, clarè, articulatè consuescito proferre verba tua. Si quendam præteribis natu grandem, Magistrum, Doctorem, aut alioqui virum gravem, memento aperire caput, nec pigeat inflectere genu. Itidem facito cùm præteribis ædem sacram, cùm sacra peraguntur. In convivio sic te præbebis hilarem, ut semper memineris quid deceat ætatem tuam. Postremus omnium admoveto manum patinæ. Si quid datur lautius, recusato modestè; si instabitur, accipe, & age gratias: mox decerptâ portiunculâ, quod reliquum est illi reddito, aut alicui proximè adcumbenti. Si quis præbibet, hilariter illi bene precator, sed ipse bibito modicè. Si non sitis, tamen admoveto cyathum labiis. Arride loquentibus: ipse ne quid loquaris, nisi rogatus. Si quid obscœni dicetur, ne arride, sed compone vultum, quasi non intelligas. Ne cui obtrectato, ne cui temet

met anteponito, ne tuæ jactato, ne aliena despicito. Esto comis etiam erga tenuis fortunæ sodales. Neminem deferto: Ne sis linguâ futili. Ita fiet, ut sine invidia laudem invenias, & amicos pares. Si videris convivium esse prolixius, precatus veniam, ac salutatis convivis, subducito te à mensa. Vide ut horum memineris. *Pu.* Dabitur opera, mi Præceptor. Numquid aliud vis? *Pr.* Adio nunc libros tuos. *Pu.* Fiet.

## Colloquium VIII.

## SCRIPTIO.

*Cornelius, Andreas.*

Scitè tu quidem pingis, sed charta tua perfluit. Charta subhumida est, ac transmittit atramentum. *Andr.* Quæso, ut apparas mihi pennam hanc. *Cor.* Deest mihi gladiolus scriptorius. *A.* En tibi. *Cor.* Hui, quàm obtusus! *And.* Accipe coriculam. *Cor.* Utrùm amas scribere cuspide duriusculâ, an molliore? *And.* Attempera ad manum tuam. *C.* Ra[illegible] oleo. *An.* Quæso, ut mihi describas ordine figuras elementorum. *C.* Græcas, an Latinas? *A.* Latinas primùm conabor imitari. *C.* Suppedita chartam. *A.* Accipe. *C.* Sed meum atramentum dilutius est subinde infusâ aquâ. *An.* At meum linteolum prorsus exaruit. *C.* Immunge. *A.* Imò

potiùs

potiùs rogabo aliunde. *C.* Præstat habere domi quàm rogare accommodatò. *A.* Quid est Scholasticus absque calamo & atramento? *C.* Quod miles absque clypeo & gladio. *A.* Utinam mihi essent articuli tam celeres. Equidem non possum dictantis vocem scribendo assequi. *C.* Prima cura sit, ut bene scribas; proxima, ut celeriter. Sat citò, si sat bene. *A.* Bellè; sed istam cantionem cane Præceptori cùm dictat: Sat citò, si sat bene.

## Colloquium IX.

## CONFABULATIO DOMESTICA.

*Petrus, Michael, Jodocus.*

Heus, heus puer! nemon' huc prodit? *M.* Hic, opinor, effringet fores. Familiarem oportet esse. O lepidum caput! Quid affers, mi Petre? *P.* Me ipsum. *M.* Næ tu rem haud magni pretii huc attulisti. *P.* Atqui magno constiti patri meo. *M.* Credo. Pluris, quàm revendi possis. *P.* Jodocus éstne domi? *M.* Incertus sum, sed visam. *P.* Quin tu potiùs abi, & roga ipsum an velit nunc esse domi. *M.* Abi tu potiùs, sísque tibi ipsi Mercurius. *P.* Heus, Jodoce, num es domi? *Jod.* Non sum. *Pet.* Impudens, non ego audiore loquentem? *Jo.* Imò tu impudentior. Nuper ancillæ tuæ credidi, te non esse domi, & tu

non

non credis mihi ipſi? *Pet.* Æquum dicis; par pari relatum. *Jod.* Equidem, ut non omnibus dormio, ita non omnibus ſum domi; tibi poſthac ſemper ero. *P.* Sed tu mihi videre cochleæ vitam agere. *Jod.* Quî ſic? *Pet.* Quia perpetuò domi latitas, nec uſquam prorepis. Non ſecus atque claudus ſutor, jugiter domi deſides. Tu tibi domi ſitum contrahis. *Jod.* Eſt quod agam domi, foris nihil eſt negotii. Et ſi quid eſſet, tamen hoc cœlum me dies aliquot à publico cohibuiſſet. *Pet.* At nunc ſudum eſt, & invitat ad deambulandum. Vide, ut blanditur! *Jod.* Si prodeambulare lubet, non recuſo. *Pet.* Planè videtur hoc utendum cœlo. *Jod.* Adciſcendus eſt unus aut alter congerro. *Pet.* Fiet, modò dicas quos velis. *Jod.* Quid ſi Hugonem? *Pet.* Haud multùm intereſt inter Hugonem & nugonem. *Jod.* Age placet. *P.* Quid ſi Alardum? *Jod.* Homo minimè mutus eſt. Quod auribus deminutum eſt, linguâ penſat. *Petr.* Si videtur, Nævium adjungemus. *Jod.* Si quidem dabitur illius copia, nunquam erit fabularum inopia. Placent confabulones, ſupereſt ut locum diſpicias amœnum. *Pet.* Ego verò tibi locum oſtendam, ubi nec nemoris umbram, nec pratorum ſmaragdinum virorem, nec fontium vivas ſcatebras deſiderabis. Dices dignam Muſis ſedem. *Jod.* Magnificè polliceris. *Pet.* Nimiùm affides libris. Immodico ſtudio te macera-

ras.

ras. *Fedoc.* Malim studio macrescere, quàm amore. *Petr.* At non ideo vivimus ut studeamus, sed ideo studemus ut suaviter vivamus. *Fed.* Mihi verò vel immori chartis dulce est. *Pet.* Equidem immorari probo, immori non probo. Ecquid voluptati fuit hæc deambulatio? *Fed.* Me quidem vehementer oblectavit.

## Colloquium X.

## JENTACULUM.

*Crato, Michael.*

O Te miserum hominem! *M.* Quid me miserum vocas? *C.* Quia domus tua hinc longè distat: non potes jentare. *M.* Assuetus sum famem tolerare ad prandium usque. *C.* Id cerè meo stomacho non arrideret. *M.* Tu vel in ipso nido pranderes. *C.* Si esuris, veni mecum jentatum. *M.* Istud tibi cordi non est: non ex animo loqueris. *C.* Imò verò seriò loquor; comitare me. *M.* Sed quid mater tua dicturæ est? *C.* Illa aberit domo. *M.* Age, nunc comitari lubet. *C.* Sed id tibi prædico; præter panem jurulentum, nihil nos habituros edulii. *M.* Nempe quia caro fortasse nondum erit percocta. *C.* Recte conjicis; nam famula focum seriùs instruit. *M.* Quî sic? *C.* Quia non nisi undecimâ horâ demum mensæ accumbimus.

*M.* Ec-

*M.* Eccur tam ſeró? *C.* Rogas? Pater non redit temporius à negotiis domum. *M.* Ergo non prandetis niſi ipſe præſtò fuerit? *C.* Adeón' inciviles nos deputas, ut prandeamus, ipſo nondum reverſo? *M.* Equidem iſthuc non ſuſpicabar, quærebam tantùm animi gratiâ. *C.* Eamus intro, ne coctrici ſimus in mora. *M.* I præ, ſequar. *C.* Nunc poſtquam fames depulſa eſt, quid inceptamus? Num exſpatiari libet? *M.* Libet ſané. *C.* Tu præcede, ego mox ſequar, poſtquam denuo bibero; nam ſitio etiamnum. *C.* Mihi quoque palatum adhuc aret. Mane, eo allaturus hauſtum. *M.* At redi acturum. *C.* Promamne pluſculum tuâ gratiâ? *M.* Non abnuo. *C.* En adfero. *M.* Gratum eſt. *C.* Sed præbibere eſt meum. *M.* Non diſplicet. *C.* Medium tibi propino. *M.* Proſit. Sed ne exhaurias totum. *C.* Ne ſis ſolicitus, ſupererit tibi quod ſufficiat. *Mich.* Nunc bibe ocyús. *C.* Vides, plus tibi relictum, quàm à me potatum. *M.* Factum bene: Partiar tecum rurſus. *C.* Non admodum moror. Si lubet, exſicca totum. *M.* Plus eſt, quàm ut poſſim ebibere.

Collo-

## Colloquium XI.

## PRANDIUM.

*Scopas, Crito, Simonides, Democritus, Polemon.*

Ubi nobis Simonides? *Crit.* Illico dixerat se venturum, simul ac conveniſſet debitorem apud forum. *Scop.* Rectè habet, à debitore faciliùs ſe extricabit, quàm à creditore. *Crit.* Qui iſthuc. *Scop.* Sicut in victoria, belli conditiones fert victor, non victus. Nam à debitore, cùm ipſe idem voleat; à creditore, cùm alter. Sed conveniſtiſne omnes, ut erat conditum, relictâ domi ſeveritate, afferentes vobiſcum hilaritatem, lepores, venuſtates, gratias? *Crit.* Planè ita ſpero: & erimus, ſicut monet Varro, belli homines. *Scop.* Reliqua meæ curæ ſunto. *Crit.* Ecce tibi Simonides. *Scop.* Feliciter. *Sim.* Et vobis fauſtè. *Scop.* Exſpectatiſſimè. *Sim.* Atqui ad prandendum eram invitatus, non ad exſpectandum. *Scop.* Ludis tuo more. *Sim.* Sed extra jocum, quæſo, fui vobis diu in mora? *Scop.* Non valde. *Sim.* Cur non accumbebatis ſine me? effectis ſaltem prooemiati de fructibus, quibus ego non admodum capior. *Scop.* Bona verba! te abſente aſſedimus? *Crit.* Satis comitatum: exordiamur jam opus. Optimum panem & leviſſimum! non plus habet ponderis quàm ſi eſſet ſpongia; ſiligineus, ſitanius: induſtrium habetis

betis pollinctorem. *Scop.* Roſcius eſt piſtrini curator. *Sim.* Nunquam in id conjicitur? *Scop.* Abſit, tam frugi ſervus? *Dem.* Adſer mihi ſiligineum. *Sim.* Mihi verò ſecundarium. *Scop.* Cur talem? *Sim.* Quoniam audivi, & ita ſum expertus, minus me eſſe, quum panis non eſt ſciti ſaporis. *Scop.* Heus puer! Adferto ei panem cibarium, & vulgarem, etiam ex atro, ſi ita mavult: ita demum jucundiſſimè convivabimur, ſi quiſque quod maximè collubitum erit ſumſerit. *Pol.* Panis hic, quem tu tantopere probas, ſpongioſus, aquaticus eſt: malo denſiorem. *Grit.* Mihi verò non diſplicet ſpongioſus, modò ne ſit ſpeuſippus: hic verò etiam hectas attollit, quod focarii ſolent facere: quum ſit, uti ſatis appareat fornaceus. P. Cibarius hic panis acerolus eſt. S. Sic aſſueverunt noſtri agricolæ triticum omne, quod huc important, acerare priùs in villa, & miſcere multis generibus ſeminum: ſapor autem ex fermento eſt nimio. P. Nullum hominum genus eſt hoc fraudulentius. Nón beneſaciunt, niſi quum neſciunt. *Scop.* Panis hic non eſt ſatis fermentatus. *Democr.* Puta te hodie Judæum, qui azymo veſcebantur juſſu Dei. *Gr.* Id quidem, quòd homines eſſent peſſimi: ut interdicta eſt illis ſuilla, quâ nihil palato gratius; nec, ſi moderatè ſumas, ſalubrius. Et quidem azyma juſſi ſunt comedere cum lactucis agreſtibus,

quæ ſunt perquam amaræ. *P.* Illa omnia ſenſus habent altiores: omittamus hæc. *Sc.* Et quidem diſputationem de pane. Si de obſoniis fuerit tanta controverſia, magna erit in toto convivio diſcordia. *C.* Accidit nimirum, quod Horatius inquit:

*Tres mihi convivæ prope diſſentire videntur,*
*Poſcentes vario multum diverſa palato.*

*Scop.* Appone lances illas & tympana, cum ceraſis & prunis, & malis granatis, & perſicis pomis, & perſicis præcocibus. *P.* Cur Marcus Varro dixit, convivas non debere excedere numerum Muſarum, quum de numero non conſtet? Alii enim ponunt tres, alii ſex, alii novem. *C.* Dixit tanquam ſi conſtaret eſſe novem, & ita erat vulgò receptum. Unde Diogenis jocus in ludimagiſtrum, qui paucos haberet diſcipulos, depictas autem Muſas in ludo: *Præceptor*, inquit, *cum Muſis multos habet diſcipulos. Dem.* Sed eſtne verum, Perſas pomum hoc, quod apud ipſos eſt lethale, invexiſſe in Græciam, ad peſtem eorum, quibus cum bellum gerebant? *Crit.* Sic accepi. *Dem.* Admirabilis eſt in ingeniis terrarum varietas. *Crit. India mittit ebur*, inquit Virgilius, *molles ſua thura Sabæi.* Hem cydoniperſica. *Sim.* Novum inſitionis inventum, priſcis incognitum. Cedò nobis pateram illam cum duricoriis, qui ſunt (ut noſtis) prodromi. *Scop.* Satis eſt fructuum, expleamus nos rebus aliis ſalubrioribus

brioribus corpori. *Crit.* Quid his ſalubrius? *Scop.* Nihil, ſi ſalubre & ſapidum idem ſunt, ſicut in meridiano ſomno. *Crit.* Ego condono illis nocumentum propter oblectamentum. Non meminiſti verſiculum Catonis: *Pauca voluptati debentur, plura ſaluti?* Dato ſingulis ſingulas gabbatas cum jure carnium, ut ſorbeant.. Id verò & calefaciet inteſtina, & blandè abluet ad molliendum ventrem. *Sim.* Profectò puer, amo te de ſuilla hac ſalita: O pernam ſapidiſſimam! majalis eſt. Braſſicas illas cum lardo, ſi mihi vis auſcultare, redde coquo, per hoc quidem temporis, aut ſerva in brumam. Lucanicæ hujus ſcinde mihi bucceam unam aut alteram, quò ſuaviùs ebibam primum cyathum. *Scop.* Pareamus medicorum conſilio, admonentium ut porcinæ addatur merum: funde vinum. *Crit.* Sequitur actus fabulæ fortaſſis hoc anni tempore præcipuus. Spectate hujus actûs apparatum. Primùm omnium, qui eſt à caliculis, ſeu cuſtos abaci, ſcyphos expoſuit vitreos cryſtallini vitri, cum vino albo puriſſimo: aquam putes ſolo aſſpectu. *Scop.* Sanmartinium eſt, & partim Rhenenſe, non infectum, ut ſolent in Belgio, ſed quale in media Germania bibitur. Oenophorus relevit hodie ſerias duas, alteram vini Helvoli, ſeu flavi ex agro Pariſienſi, alteram ſanguinei Burdegalenſis. Habetis in frigidario alia parata, fuſcum,

Aquitanicum, & nigrum è Sagunto: petat quisque ex sententia palati sui. *Crit.* Quid potest nunciari lætius? ut nihil est durius quàm perire siti. *Sim.* Ego verò mallem optimam nobis aquam prospexisse: hunc nuncium audivissem libentiùs, quàm de vino. *Scop.* Nec ea deerit. *Simonid.* Nuper, quum essem in urbe Roma, bibi apud Cardinalem quendam vina generosissima, omnifariam saporis, (nam eram præfecto cellæ vinariæ perquam familiaris) vinum dulce, acutum, lene, suave, austerum. *Democr.* Mihi vehementer placet aigleuces. *Pol.* Sic ferè Belgicis fœminis. *Simonid.* In pagis quibusdam Galliæ floces apponuntur; secundarium autem vinum & ternarium habent in deliciis; sed ea villa sunt magis quàm vina, & alioqui vinum Gallicum toto genere nec aquam, nec ætatem fert: itaque paulò postquam est diffusum, bibitur; quippe post annum inclinat illico, & fit dubium, tum fugiens acescit, quod si manserit diutiùs, emocet, & in vappam vertitur. Hispanum vinum & Italicum bene fert & aquam, & ætatem. *Dem.* Quid rei est vinum fugiens? vieantur probè dolia, & obserentur cellæ, imò & domus claudatur, si sit opus. *Pol.* Ut poma fugientia, quæ ætati cedunt, nec servantur, discedere vulgò dicimus: cujus contrarium est vinum consistens. *Dem.* Funde mihi priùs aquam ad dimidium calicem,

cem; ſuper hanc infundes vinum more veteri. *Crit.* Imò & hodierno gentium multarum: Galli & Germani contrà faciunt. *Dem.* Quæ nationes volunt bibere aquam vinatam aquæ addunt vinum: quæ vinum aquatum, vino ſuperinfundunt aquam. *Crit.* Quæ verò vino aquam non adfundunt, quid bibunt? *Demoer.* Vinum purum putum. *Crit.* Etiam, niſi prius à vinario ſit vitiatum. *Dem.* Pejùs agunt, qui injiciunt calcem, ſulfur, mel, alumen, & alia dictu tetriora, quibus nihil eſt corporibus perniciosius; in quos publicè debebat animadverti, ut in latrones & ſicarios: inde ſunt enim incredibilia morborum genera, & potiſſimùm arthritica. *Crit.* Ex conſpiratione cum medicis id agunt, ut utrique rem augeant. *Dem.* Nimis mihi porrigis plenum calicem; deple, quæſo, eum aliquantùm, ut ſit locus aquæ infundendæ. *Crit.* Funde mihi in ſcyphum illum coloris caſtanei. Quid rei eſt? *Scop.* Nux prægrandis Indica, ac labris argento circumcluſa: viſne in culullo illo ligni hebeni, quod ferunt eſſe ſaluberrimum? Ne addas tantum aquæ: Neſcis vetus verbum? *Perdis vinum infusâ aquâ?* *Dem.* Imò perdis utrumque; aquam & vinum. *Pol.* Malo utrumque perdere, quàm ab alterutro perdi. *Scop.* Lubétne potare more Græco ex illis pateris, & capacioribus

poculis? *Dem.* Minimè verò: Admonebas nos modò antiqui proverbii, viciſſim te admoneo præcepti Paulini; *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*: et Servatoris noſtri; *Videte ne graventur corda veſtra craſulâ & ebrietate. Crit.* Unde eſt hæc frigida, tam pura & pellucida? *Scop.* E fonte proximo. *Crit.* Ad vinum diluendum malim ciſternam, modò defæcatiſſimam. *Dem.* Quid putealem? *Crit.* Uſibus lavandi aptior eſt, quàm bibendi. *Pol.* Fluvialem commendant plurimi. *Crit.* Re&è, ſi fluant amnes per venas auri, ut ferè in Hiſpania; & ſit quieta, & liquida. *Sim.* Mihi verò in phiala Samia illa adfer aliquantum cereviſiæ, quam puto refrigerando corpori hoc æſtu utiliſſimam. *Scop.* Ex qua tandem cereviſia? *Sim.* Ex tenuiſſima: nam aliæ nimiùm incraſſant ſpiritus, & reddunt obeſum corpus. *Pol.* Mihi item dato, ſed in vitro illo terete. *Scop.* Curre ad culinam: quid illi ceſſant? quin mittunt miſſum alium? vides jam hinc neminem attingere? Adfer pullos gallinaceos, elixos cum lactucis, bugloſſa hortenſi, & intubo, vervecinam quoque, & vitulinam. Adde etiam in ſcutellis paulùm fi[illegible] *Democ.* Violenta res videtur ſinapis. *Crit.* Non admodum congruit biliosis: iis tamen, qui craſſis & frigidis humoribus redundant, haud inutilis. *Polæmon.* Idcirco ſapiunt populi ſeptentrionales,

onales, quibus illa eſt magno uſui, præcipuè cibis craſſis & duris addita, ut bubulæ & ſalſamentis. *Scopas.* Hoc loco exiſtimo pultes & ptiſanas venturas in tempore, ſimilaginem, amylum, oryzam, vermiculos: edat quiſque ex quibus volet. *Democritus.* Vidi, qui à vermiculis hujuſmodi vehementer abhorreret, quòd autumaret collectos fuiſſe ex terra, aut cœno, & vixiſſe aliquando. *Crito.* Scilicet metuebat, ne in aqualiculo ſuo reviviſcerent. Oryzam ferunt naſci in aqua, mori in vino: cedò igitur vinum. *Democritus.* Ne bibe ſtatim à cibo calido, intermiſce priùs frigidi aliquid, & ſolidi. *Crit.* Quid? *Democ.* Cruſtam panis aliquam vel turundam unam aut alteram carnium. *Sim.* Vah! piſces cum carnibus in eadem menſa? Mare miſcetur terræ. Sed qui ſunt piſces iſti? *Scop.* Appone ordine; primùm lupum illum aſſum cum aceto & capparibus, tum paſſeres elixos, cum ſucco lapathi acuti, ſoleas frixas, lucium recentem, & capitonem, lucium ſalitum ſerva tibi, thynnum aſſum recentem, & thynnum in ſalſamento, menas recentes frixas, cruſtulata, in quibus inſunt multi barbati, murenæ & truttæ multis conditæ aromatis, gobios frixos, cammaros & cancros elixos. Admiſce ſcutellas cum intritis, alliato, piperato, eructato. *Sim.* Ego verò de piſcibus loquar, non edam. *Crit.* Si Philologus

cœperit de piſcibus movere controverſiam, hoc eſt, de re incertiſſima & controverſiſſima, incipite nobis lectulos inſternere, hîc erit cubandum. *Scop.* Nemo dignatur vel guſtare hoc: tolle hæc. *Sim.* Atqui convivia olim Romæ lautiſſima, & (ut ipſi ſoliti erant dicere) pollucibilia, ex piſcibus conſtabant. *Crit.* Ita ſunt mutata tempora, etſi hoc etiamnum durat apud quoſdam. *Scop.* Importate aſſa, pullos, perdices, turdos, anaticulas, querquedulas, palumbos, cuniculos, lepuſculos, vitulinam & hœdinam, & intinctus, ſeu embammata, acetum, omphacium, oxypora, mala etiam medica, & cydonia, & olivas Balearicas conditivas, quaſſas, & in muria aſſervatas. *Crit.* Quid fiet grandibus illis belluis, anſeri, cycno, pavoni? *Scop.* Oſtende tantùm, & refer in culinam. *Pol.* Hem pavonem! Ubi eſt Quintus Hortenſius, cui erat in deliciis? *Scop.* Tolle agninam, quia inſalubris. *Crit.* Vidi quendam devorare oſſa olivarum ſtruthionicé. *Sim.* Ex quibus carnibus ſunt artocreæ iſtæ? *Scop.* Hæc eſt ex cervina: hæc eſt damica: illa eſt, ut puto, aprugna. *Crit.* Condituras ipſas malim, quàm carnes. *Sim.* Planè ita eſt, etiam res amaras condimentum reddit ſuaviſſimas. *Crit.* Ecquod eſt vitæ totius condimentum? *Dem.* Æquus animus. *Crit.* Aliud quiddam ego proferam, amplius & auguſtius.

*Dem*

*Dem.* Quid tandem hoc rei? *Crit.* Pietas; ſub qua & animi æquitas comprehenditur, & ad res univerſas aſperas, faciles, medias, condimentum aptiſſimum & jucundiſſimum. *Scop.* Infunde Hiſpanicum vinum album in carchefium illud, & circumfer per convivas. *Dem.* Quid paras agere? Sub prandii finem propinas nobis vinum forte ac generoſum. Dilutius poſthac bibendum, ſi conſultum cupimus valetudini. *Sim.* Rectè mihi videris admonere: frigida enim oportet eſſe in convivio poſtrema, quæ pondere ſuo cibos ad ventriculum detrudant, & vapores, caput impetentes, cohibeant. *Scop.* Tolle iſta, muta orbes & quadras; da ſecundam menſam: nam nemo extendit uſquam manum. *Crit.* Adeò comedi initio avidè, ut ſtatim amiſerim appetitum. *Dem.* Ego non item appetitione, ſed impetu feror ad primas dapes: inde me expleo. *Pol.* Neſcio quid ederim de piſcibus, id guſtum meum prorſus retudit. *Sim.* Tantúmne bellariorum apparatum, & cupedines, cùm nihil ſupereſt amplius cupediæ? pyra, mala, caſeus multiplex: ſed palato meo congruentiſſima eſt hippace. *Crit.* Non reor hippacen eſſe hunc, ſed Phrygium, ex lacte aſini; qualis è Sicilia uſque advehitur columellari formâ, & quadratâ; qui cum frangitur, in lamínulas finditur. *Scop.* Caſeus hic, etſi Britannicus, fiſtuloſus eſt: non erit meâ utique

ſententiâ vobis gratus, ſed neque hic ſpongioſus Hollandicus, *Crit.* Parmenſis hic eſt bene compactus, & ſatis (ut videtur) recens: & ille Penafelliçus facilè cum Parmenſi certârit. *Dem.* Non eſt Parmenſis, ſed Placentinus. *Crit.* Etiam, ſi placet: vulgo Germanorum ſuaviſſimus eſt caſeus vetus, putris, confriatus, & vermiculoſus. *Sim.* Qui talem edit caſeum, ſitim venatur, & edit, ut bibat. *Scop.* Piſtor dulciarius nimiùm moratur, quin adſert ſcriblitas, & artolagana teſtuacia, & ſartaginea, conſperſione in cacabum injectâ olei ferventis, melle ſuperfuſo. *Crit.* Caryotas da mihi aliquot ad edendum & ad ſervandum: fortaſſe nocte hâc nihil edam aliud. *Scop.* Cape igitur ſpatalium hoc integrum: vin' ex malogranatis? *Pol.* Heus puer! ſpolia nobis hanc palmam agreſtem, & da quod eſt eſui. *Scop.* Potionis vos admoneo: Scitis Ariſtotelis eſſe opinionem, tragemata eſſe inventa, ut ea nos ad bibendum invitent, ne cibus in arido coquatur. *Crit.* Oportet ergo inventorem fuiſſe vel nautam vel piſcem, qui adeò timeret ariditatem. *Scop.* Adſer ea, quæ ſolent vocari ſigillum ſtomachi; poſt quæ nihil eſt nec edendum, nec bibendum: buccellatum cydoniatum, coriandrum ſaccharo contectum: hoc verò manducandum eſt, non edendum; ſed quod ex manſo reliquum

eſt

est aridum, exspuendum. Collige frusta & reliquias in canistris: adfer aquas odoriferas, rosaceam, flores mali medici, moschatam. *Pol.* Agamus Christo gratias. *Puer.* Agimus tibi gratias pater, qui tam multa ad hominum usus condidisti: annue, ut tuo favore ad cœnam illam veniamus tuæ beatitudinis, Amen. *Pol.* Agamus nunc hospiti gratias. *Crit.* Agamus.

## Colloquium XII.

## FRUCTUS NOVELLI.

*Bartholomæus, Ægidius.*

Ho, ho! quid ego vidi novi? *Æ.* Quid? cedò, quid vidisti? *B.* Vidi quidpiam in foro, unde valde sum exhilaratus. *Ægid.* Quid obsecro? edissere. *B.* Matura cerasa. *Æ.* Quid ais? Vix credo. *B.* Vera loquor: Erant petiolis colligata in fasciculos. *Ægid.* Quanti venibant? *B.* Fasciculus cerasorum fortè viginti, nummo. *Æ.* Satis caré. Tanti ego cerasa non edam. *B.* Nihil mirum, cùm sint novelli fructus, primitiæ anni. Mihi si tum in promptu nummi fuissent, mercatus essem illico. *Æ.* Sustine paulisper, propediem decrescet precium, & obolo ementur vel manipuli decem. *B.* At ego misere metuo, ne deficiat cerasorum messis antequam me iis probè exsaturavero. *Æ.* Metuis ne cœlum ruat? Securus esto; isto metu te planè libero.

libero. *B.* Quamdiu igitur duraturum putas mercatum istum? *Æ.* Omnino mensem & ampliùs. *B.* Euge, beas me. *Æ.* Tum licebit adjungere fraga, quæ nunc passim venalia sunt, si cerasorum satietas te ceperit. *B.* Dicis probé. *Æ.* Ubi utraq; defecerint, succedent poma præcocia; mala mustea, rubelliana, pulmonea; pyra dolabelliana, augustalia, volema, mustacea; Persica, Armeniaca. *B.* Quid inde? *Æ.* Pruna, cerea, decumana, asinina, nana. *B.* Perge obsecro. *Æ.* Nuces, avellanæ, juglandes, mora, Idæa, mespila, uvæ, albæ & purpureæ, præciæ, apianæ: Item uvæ crispæ, uvæ ursinæ, quas Medici ribes appellant: denique castaneæ. *B.* Oh gestio! Tu ut video, omnia in numerato habes. *Æ.* Quidni? Sed ad cerasa redeamus. Dic mihi; utra tibi gratiora sunt, dulcia an acida? *B.* Dulcibus magis delector, præsertim actiis. *Æ.* Ego verò acida malo, inprimis amarena: quæ & salubriora existimo. *B.* Audivi qui aproniana cæteris præferrent. Sed heus tu, num colligis è cerasis officula? *Æ.* Colligo utique & asservo. *B.* At in quem usum? an ut nucleos eximas? an ut ludas par impar? *Æ.* Quasi verò nuclei tam sapidi sint, ut iis eruendis tantum temporis impendatur. *B.* Cui igitur bono asservas? *Æ.* In hiemem, ut me foveant, cùm à furno calent. *B.* Quomodo isthuc?

*Æ.* Col-

*Æ.* Collecta in ſacculos & impoſita furno, vehementer incaleſcunt: inde membra frigentia mirificè recreant, admota & affricata. *B.* Intelligo. Dicam tibi locum, ubi permulta reperias. *Æ.* Ubinam? *B.* Dicam in aurem. *Æ.* Apage, iſtinc tu lege. *B.* Atqui non indigeo. *Æ.* Et mihi ſufficiunt aliunde. At enim tu cave ſis, ne quid tibi mali adſciſcas nimiâ aviditate & edacitate. *B.* Quid ita? *Æ.* Quia pleriq; fructus æſtivi ſunt proclives ad putredinem, unde oriuntur morbi, tormina, profluvium alvi, dyſenteria, febris, & alii. Inprimis ceraſis dulcibus, prunis noſtratibus, & perſicis abſtineto, vel ſaltem parcè iis veſci memento, cæteriſque item non niſi exactè maturis. *B.* Ero memor.

## Colloquium XIII.

## NUNDINÆ.

*Severinus, Balthaſar.*

Vidiſtine, quàm fervidè mercatores erigant tentoria? *B.* Vidi: quid tum poſtea? *S.* Nundinales feriæ appetunt. *B.* Illic mihi nihil metitur. *S.* At ego nonnihil ſpero commodi. *B.* Quomodo? *S.* Ab amicis exſpecto munera. *B.* Ah! exſpectare miſerum eſt. *S.* Satiùs tamen eſt exſpectare, quàm nihil habere ſpei. *B.* Qui ſpe vivit, miſerè vivit. *S.* Non omnes ſpe fruſtrantur,

*B.* Plures

*B.* Plures certè fruſtrantur, quàm voti compotes fiunt. *S.* Nundinaria munera quotannis his nundinis mihi donantur affatim. *B.* Tu quidem me fortunatior es, cui nec teruncius dàtur. *S.* Nec mirum: Tu peregrinus es, ego indigena & civis ſum. *B.* Sanè & mihi, ſi in patria agerem, idem liceret ſperare. *S.* Exſpecto hâc vice & calceos, & tiaram, & cingulum, & chirothecas ſeu manicas, & alia. *B.* Quis mercabitur tibi? *S.* Cognati & agnati mei, qui ex vicinia adſunt. *B.* Vide, ne mercimoniis impediti, tui obliviſcantur. *S.* Ego verò ipſos ſæpe admoneo & interpello. *B.* Rogare mendicorum eſt. *S.* Non ſtipem rogo, ſed munus. *B.* Parùm intereſt. *S.* Ut ut ſit, ego talia munuſcula libens accipio. *B.* Certò deſiperes, ſi data recuſares.

## Colloquium XIV.

## PEREGRINATIO.

*Pamphagus, Cocles.*

Aut parùm proſpiciunt oculi, aut Coclitem veterem compotorem meum video. *Cocl.* Imò nihil te fallunt oculi tui, vides ſodalem ex animo tuum. Nulla cuiquam erat ſpes reditûs tui, qui tot annos abfueris, ignaris omnibus, quæ te terrarum haberet regio. Sed unde, die quæſo? *Pam.* Ab Antipodibus. *Cocl.* Imò ab inſulis, opinor,

opinor, fortunatis. *Pam.* Gaudeo quòd agnoveris ſodalem tuum; nam verebar, ne ſic domum redirem, quemadmodum rediit Ulyſſes. *Cocl.* Quonam pacto rediit ille? *Pam.* Nec ab uxore eſt agnitus, canis jam vetulus motâ caudâ dominum agnovit. *Cocl.* Quot annos ipſe domo abfuerat? *Pam.* Viginti. *Cocl.* Tu plures abfuiſti, nec tamen me fefellit tua facies. Sed quis iſthuc narrat de Ulyſſe? *Pam.* Homerus. *Cocl.* Oh! ille, ut ajunt, pater eſt omnium fabularum. Sed quî tandem agnitus eſt? *Pam.* E tuberculo quod habebat in digito pedis: id animadvertit nutrix jam admodum anus, dum illi pedes lavat. *Cocl.* O curioſam lamiam! Et tu miraris, ſi ego te agnovi ex iſto tam inſigni naſo? *Pam.* Nihil me pœniteat hujus naſi. *Cocl.* Nec eſt cur pœniteat, quum organum tibi ſit ad res tam multas utile. *Pam.* Ad quas? *Cocl.* Primùm ad extinguendas lucernas erit vice cornu. *Pam.* Perge. *Cocl.* Deinde, ſi quid exhauriendum erit è cavo profundiore, fuerit loco promuſcidis. *Pam.* Papæ! *Cocl.* Si manus erunt occupatæ, licebit uti vice paxilli. *Pam.* Etiámne ampliùs? *Cocl.* Conducet excitando foculo, ſi defuerit follis. *Pam.* Bellè narras. Quid præterea? *Cocl.* Si lumen officiat ſcribenti, præbebit umbraculum. *Pam.* Ha, hà, hæ. Eſt præterea quod dicas? *Coc.* In bello navali

vali præbebit usum harpagonis. *Pam.* Quid in bello terrestri? *Coc.* Erit loco clypei. *P.* Quid deinde? *Coc.* Findendis lignis erit cuneus. *Pam.* Probé. *Coc.* Si præconem agas, erit tuba; si classicum canas, cornu; si fodias, ligo; si metas, falx; si naviges, anchora; in popina fuerit fuscina, in piscando, hamus. *Pam.* O me felicem! nesciebam me circumferre ad tam multa conducibilem supellectilem. *Coc.* Sed quis interim terrarum angulus te habuit? *Pam.* Roma. *Coc.* At quî fieri potuit, ut in tanta luce nemo te sciret vivum? *Pamph.* Imò nusquam magis latent boni viri, adeò ut sæpe clarissimâ luce neminem videas in frequenti foro. *Cocl.* Redis igitur nobis onustus sacerdotiis? *Pam.* Venatus equidem sum sedulò, at parùm favit Delia. Nam complures illic piscantur hamo, quod dici solet, aureo. *Cocl.* Stultum piscandi genu! *Pam.* Et tamen pulchrè succedit nonnullis. Sed non omnibus feliciter cadit hæc alea. *Coc.* At non insigniter stulti sunt, qui plumbum commutant auro? *Pam.* Sed non intelligis in plumbo sacro venas auri subesse. *Coc.* Quid igitur? rediisti nobis nihil aliud quàm Pamphagus? *Pamp.* Non. *Coc.* Quid igitur? *Pam.* Lupus hians. *Coc.* Feliciùs redeunt, qui asini redeunt sacerdotiorum farcinâ graves. Cur mavis sacerdotium, quàm uxorem? *Pam.* Quia

mihi

mihi placet otium. Arridet Epicurea vita. *Coc.* Sed triſtis eſt ſolitudo, adeò ut nec Adam ſuaviter victurus fuerat in Paradiſo, niſi Deus illi adjunxiſſet Evam. *Pam.* Non deerit Eva, cui ſit opulentum ſacerdotium. *Coc.* Sed voluptas non eſt voluptas, quæ cum mala fama, maláque conſcientia conjuncta eſt. *Pam.* Verum dicis, & idcirco mihi in animo eſt, confabulatione librorum ſolitudinis tædium fallere. *Cocl.* Iſtis quidem ſodálibus nihil jucundius. Sed redíſne ad tuam piſcationem? *Pam.* Redeo, ſi liceat parare novam eſcam. *Cocl.* Aureámne an argenteam? *Pam.* Utramlibet. *Coc.* Bono animo es, pater ſuppeditabit. *Pam.* Nihil illo tenacius. Nec crediturus eſt denuo, cùm intellexerit mihi ſortem etiam periiſſe. *Cocl.* Verùm iſta lex eſt aleæ. *Pam.* Sed ille non delectatur hâc aleâ. *Coc.* Si pernegabit ille, commonſtrabo tibi unde poſſis quantum voles pecuniæ ſumere. *Pam.* Tu verò mihi voluptatem narras: age monſtra; jam jam cor mihi ſalit. *Cocl.* In promptu eſt. *Pam.* Nactus es theſaurum aliquem? *Cocl.* Si nactus eſſem, mihi nactus eſſem, non tibi. *Pam.* Si queam corradere centum ducatos, revixerit ſpes. *Cocl.* At ego tibi commonſtro unde poſſis haurire centum millia. *Pam.* Quin tu igitur me beas? Ne diutiùs eneca. Dic, unde? *Cocl.* Ex aſſe Budæi: illic reperias innumeras myriadas, ſive auream malis mone-

monetam, ſive argenteam. *Pam.* Abi quò dignus es cum tuo joco. Illinc tibi ſolvam, ſi quid debuero. *Cocl.* Reſolves, ſed quod illinc numerâro. *Pam.* Age, novi naſum tuum. *Cocl.* At mihi præ te naſus eſt nullus. Imò nihil te naſutius. Nihil es niſi naſus. *Pam.* Ludis in re ſeria. Hac in re ringi poſſim citiùs quàm ridere. Res gravior eſt, quàm ut ridere libeat. Tu ſi hîc eſſes, non luderes. Sum tibi ludibrio. Illudis mihi. Illudis me. Joco me tractas in re neutiquam jocoſa. *Coc.* Minimè rideo, ſed id quod res eſt dico. Non rideo quidem, imò rem ipſam dico: ſeriò loquor. Ex animo loquor. Simpliciter loquor. Vera loquor. *Pam.* Ita tibi ſemper ſtet in capite pileum, ut iſta tu ſimpliciter loqueris. Sed ceſſo abire domum, cogniturus quo ſtatu ſint illic omnia? *Cocl.* Offendes nova permulta. *Pam.* Credo, ſed utinam omnia ex animi ſententia! *Coc.* Iſthuc optare licet omnibus, ſed hactenus obtigit nemini. *Pam.* Hoc quoque commoditatis adfert utrique noſtrum ſua peregrinatio, quòd dulcior erit poſthac domus. *Cocl.* Neſcio. Nam video quoſdam ſepties illò recurrere. Adeò ſcabies illa ſine fine ſolet prurire, ſi quem ſemel invaſerit.

Colloquium

## Colloquium XV.

## LUSUS VENIA.

*Nicolaus, Cocles, Pædagogus, Hieronymus.*

Jam dudum & animus, & cœlum, & dies invitat ad ludendum. *Cocl.* invitant quidem hæc omnia, ſed ſolus Præceptor non invitat. *Nic.* Subjungendus eſt orator quiſpiam, qui veniam extorqueat. *Hieron.* Apte quidem dictum, extorqueat: nam citiùs clavam exterſeris è manu Herculis, quàm ab hoc ludendi veniam. At olim ille oblitus eſt, ſe fuiſſe puerum. Ad verbera facilis eſt, & liberalis; hîc parciſſimus, idémque difficilimus. *Hieron.* Attamen protrudendus eſt aliquis legatus, non admodum verecundæ frontis, quem non illico protelet ſuis ſævis dictis. *Nicol.* Eat, qui volet, ego carere malo, quàm rogare. *Hieron.* Nemo magìs accommodus ad hanc legationem, quàm Cocles. *Nicol.* Nemo profecto; nam perfrictæ frontis eſt, ac bene linguax; deinde ſenſum hominis pulchrè callet. *Hieron.* Cocles, i, ab omnibus nobis magnam initurus gratiam. *Cocl.* Equidem experiar ſeduló. Verùm ſi non ſucceſſerit [illegible] oratorum. *Hieron.* Bene ominare, ſi te ſatìs novimus, impetrabis. Abi orator, redibis exorator. *Cocl.* Eo. Bene vertat mea legatio. Salve Præceptor. *Pædag.* Quid ſibi vult nugamentum hominis? *Cocl.* Salve

Salve Præceptor obſervande. *Pædag.* Inſi dioſa civilitas. Satis jam ſalveo. Dicó qui velis? *Cocl.* Totus diſcipulorum tuorum grex orat ludendi veniam. *Pædag.* Nihil aliud quàm luditis, etiam abſque veni *Cocl.* Scit tua prudentia, vigorem ingeniorum excitari moderato luſu, quemadmodum nos docuiſti ex Quintiliano. *Pæd.* Sanè ut iſthuc tenes, quod pro te facit! Laxamento opus eſt iis, qui vehementer laborant: vobis, qui ſegniter ſtuderis, & acriter luditis, fræno magis opus eſt, quàm laxatis habenis. *C.* Adnitimur pro viribus. Et ſi quid hactenus ceſſatum eſt, diligentiâ ſarcietur. *Pæd.* Oh, Sartores! Quis erit fidejuſſor, aut ſponſor, iſthuc futurum? *Cocl.* Ego capitis mei periculo non dubitem eſſe ſponſor. *Pæd.* Scio, quàm non ſit tutum tibi credere; tamen hîc periculum faciam, quàm ſis bonæ fidei: Si dederis verba, poſthac nequicquam mecum egeris. Ludant, ſed gregatim in campis. Ne divertant ad compotationes; aut alia nequiora. Maturè ſe recipiant domum, ante ſolis occubitum. *Cocl.* Fiet. Exoravi, quamquam ægrè. *Nicol.* O lepidum caput! Omnes amamus te plurimùm. *Cocl.* Sed interim cavendum ne quid peccemus, alioqui de me ergo dependendum foret: fidejuſſi veſtro omnium nomine. Quòd ſi quid accidat, non eſt quòd me poſthac utamini legato. *Hie ron.* Cavebitur. Sed quod luſûs genus potiſſimùm pla-

placet? *Cæl.* De hoc in campo consultabimus.

## Colloquium XVI.

## LUSUS PILÆ.

*Nicolaus, Hieronymus.*

Nulla res meliùs exercet omnes corporis partes, quàm pila palmaria, sed aptior hyemi, quàm æstati. *Hieronym.* Nullum anni tempus nobis parùm accommodum est ad ludendum. *Nicol.* Minùs sudabimus, si ludamus reticulo. *Hieron.* Imò reticulum piscatoribus relinquamus, elegantius est palmâ uti. *Nic.* Age, nihil moror: sed quanti certabimus? *Hieron.* Talitroi sic parcetur pecuniæ. *Nicol.* At ego malo fronti parci, quàm pecuniæ. *Hieron.* Et mihi frons charior est pecuniâ. Aliquo periculo certandum est, alioqui friget ludus. *Nic.* Sic res habet, ut dicis. *Hieron.* Utra pars prior evicerit tres lusus, ei victa pendet sextam drachmæ partem: sed hâc lege, ut quicquid è victoriis collectum fuerit, insumatur in convivium, ad quod pariter vocentur omnes. *Nic.* Placet lex & rata esto; supereſt igitur, ut sortiamur partes: nam sumus ferme pares omnes, ut non admodum referat, quis cui conjungatur. *Hieron.* Tu tamen me longè peritior es. *Nicol.* Ut sim, sed tu me felicior. *Hieron.* Etiam

Etiam hîc valet fortuna? *Nicol.* Illa nusquam non regnat. *Hieron.* Age, fiat sortitio: euge, bene cecidit; contigere quos volebam. *Nicol.* Et nos nostræ sodalitatis non pœnitet. *Hieron.* Agedum simus viri. Amat victoria curam: suum quisque locum strenuè viriliterque tueatur. Tu mihi consiste à tergo, accepturus pilam, si me transvolet: Tu illic observa, repulsurus huc ab adversariis revolantem. *Nicol.* Ne musca hâc quidem prætervolârit impunè. *Hieron.* Agite, nunc mittite pilam in tectum. Qui miserit nihil præfatus, frustra miserit. *Nicol.* Hem, accipe igitur. *Hieron.* Mittito: Si miseris extra lineas, aut infra supráve tectum vestro damno fuerit; aut certè nobis fraudi esse nolim. Tu sanè parùm commodè mittis. *Nicol.* Tibi quidem, at nobis commodè. *Hieron.* Ut miseris, ita remittam. Par pari referam. Sed præstat ingenuè legitimèque ludere. *Nicol.* In ludo pulchrum est arte vincere. *Hieron.* Fateor atque etiam in bello. Sed habet utraque pars suas leges. Et sunt artes illiberales. *Nicol.* Credo, plures septem. Signa terminum testulâ, aut rudere, aut si mavis pileo tuo. *Hieron.* Tuo malim. *Nicol.* Rursus accipe pilam. *Hieron.* Mitte. Pone notam. *Nicol.* Habemus duos terminos satis longinquos. *Hieron.* Utcunque, sed tamen vincibiles. *Nicol.* Si nemo repugnet. *Hieron.* Euge, priorem metam prætercurrimus. Vicimus quindecim.

decim. Heus præbete vos viros: viceramus & hîc, si tu tuo constitisses loco. Sumus igitur pares. *Nicol.* Non diu futuri. Vicimus triginta, vicimus quadraginta quinque. *Hieronymus.* Sestertia? *Nicolaus.* Non. *Hieron.* Quid igitur? *Nicol.* Numeros. *Hieron.* Quò pertinent numeri, si nihil est quod numeres? *Nicol.* Noster hic ludus est. *Hieron.* Præproperè tu quidem, ante victoriam canis triumphum. Vidi qui vincerent ab hoc numero, qui nihil habebant. Varia est, ut Martis, ita lusûs alea. Habemus triginta. Jam rursus pares sumus. *Nicol.* Nunc seria res agitur. Euge successit, habemus potiores. *Hieron.* Non diu habituri. Dixine? Rursum æquali fortunâ sumus. *Nicol.* Diu nutat fortuna, velut anceps, utris velit addicere victoriam. O fors fortuna, si nobis faveris, dabimus tibi maritum. Euge audivit votum. Penes nos est hujus certaminis victoria. Pone notam cretaceam, ne excidat. *Hieron.* Jam appetit vespera, & sudatum est satis, præstat à ludendo desistere, ne quid nimis. Supputemus lucrum. *Nicol.* Nos evicimus tres drachmas, vos duas. Restat igitur una ad comparationculam. Sed interim quis solvet precium pilarum? *Hieron.* Omnes ex æquo, pro sua quisque portione. Nam lucrum exilius est, quàm ut inde possit aliquid decîdi.

Colloquium

## Colloquium XVII.

# LUDUS GLOBORUM MISSILIUM.

*Adolphus, Bernhardus, Arbitri.*

Tu toties apud me gloriatus es, te mirum quendam esse artificem in certamine mittendorum globorum. Age, libet experiri, qui vir sies. *Bern.* Nihil detrecto, huc si quid libet. Nunc tu planè, quod dici solet, in planitiem provocas equum. *Adol.* Et tu senties me non esse asinum. *Bern.* Placétne monomachia, ut unus cum uno congrediatur? an mavis adjungi socios periculi? *Adol.* Malo prius; ne qua pars victoriæ decidatur alteri. *Bern.* Isthuc & ipse malo, ut laus in solidum sit mea. *Adol.* Hi spectatores erunt & arbitri. *Bern.* Sed quod erit victori brabeium, aut quæ victo pœna? *Adol.* Quid si victo amputetur auricula? *Bern.* Non est magnificum certare pro pecunia. Tu Germanus es, ego Gallus; decertemus pro sua uterq; gentis gloria. Si vicero, tu ter exclamabis, Floreat Gallia: si victus, quod absit, fuero, totidem verbis celebrabo tuam Germaniam. *Adol.* Age, placet conditio. *Bern.* Adsit fortuna. Quando periclitantur hoc ludo duæ maximæ nationes, sint æquales sphæræ. *Adol.* Nôsti saxum illud prominens, haud procul à porta? *Ber.* Novi. *Ad.* Ea erit meta, & hæc linea. *Bern.* Esto, sed sint, inquam, pa-

res

res globi. *Adol.* Minùs discernas ovum ab ovo, aut ficum à ficu. Sed meâ non refert, utrum malis elige. *Bern.* Mitte. *Ad.* I. Heus! tu mihi non brachium, sed balistam habere videris, ita torques globum. *Bern.* Satis momordisti labrum, satis rotâsti brachium; tandem mitte. O vires Herculeas! sed tamen vinco. *Adol.* Nisi sceleratus ille laterculus obstitisset, præverteram te. *Bern.* Consiste in sphæræ tuæ vestigio. *Adol.* Non utar dolo malo. Cupio virtute, non fraude vincere, quandoquidem de gloria certamen est. Bene vertat! *Bern.* Ingens profectò jactus! *Adol.* Ne ride priusquam viceris. Adhuc penè sumus pares. *Bern.* Nunc res agitur. Uter prior metam contigerit, is vicerit. *Adol.* Vici; canta. *Bernh.* Sed definiendum erat, quoto ludo constaret victoria: nam primo nondum incaluere vires. *Adol.* Definiant arbitri. *Arb.* Tertio. *Bernh.* Placet. *Adol.* Quid ais? Agnoscisne victorem? *Bern.* Tibi fortuna magis aspiravit, viribus & arte non tibi cessero. Sed quod arbitri pronunciaverint, id sequar. *Arb.* Germanus vicit; & hoc gloriosior est victoria, quòd talem artificem vicerit. *Adol.* Nunc canta Gallè. *Bern.* Sum raucus. *Adol.* Hoc Gallis novum non est: sed tamen coccyssa. *Bern.* Floreat Germania ter. *Ad.* Imò ter hoc erat canendum. *Ber.* Contraximus siticulam; eamus ad compotatiunculam, ibi perficietur cantio.

*Adol.* Non recuſo, ſi ita videtur arbitris. *Arb.* Ita commodius eſt. Meliùs canet Gallus colluto gutture.

## Colloquium XVIII.

## LUDUS GLOBORUM PER ANNULUM.

*Caſpar, Eraſmus.*

Agè, nos auſpicabimur. Victo ſuccedat Marcolphus. *Eraſm.* Sed quod erit victori præmium? *Caſ.* Victus ex-tempore faciet, & recitabit diſtichon, in laudem victoris. *Eraſm.* Accipio legem. *Caſp.* Viſne ſortiamur, uter prior incipiat? *Eraſm.* Eſto tu Prior, ſi lubet; ego malim eſſe Abbas. *Caſp.* Hoc tua conditio potior eſt, quòd tibi nota eſt area. *Eraſm.* Verſaris in tua arena. *Caſp.* In hac exercitatior ſum quàm in libris. Tamen iſtud perquam exigui momenti eſt. *Eraſm.* Æquum eſt, ut tantus artifex hoc certamine mihi largiatur nonnihil. *Caſp.* Imò abs te peterem juſtiùs; ſed parùm eſt honeſta precaria victoria. Is demum vincit, qui ſuo Marte vincit. Ita ſumus pares, ut non meliùs commiſſus fuerit olim cum Bitho Bacchius. *Eraſm.* Tua ſphæra commodior eſt meâ. *Caſp.* Et tua vola vincit meam. *Eraſm.* Ludito legitimè abſque technis, ac dolo malo. *Caſ.* Dices

ces tibi rem esse cum homine probo. *Erasm.* Sed priùs audire cupio hujus sphæristerii plebiscita. *Casp.* Quaternio ludum absolvit. Qui hanc lineam præterierit, in damno est. Reliquos limites si transilias, non erit fraudi. Qui globum suo loco moverit, perdit jus feriendi. *Erasm.* Intelligo. *Casp.* Et occlusi tibi portam. *Erasm.* Sed istinc te excutiam. *Casp.* Id si feceris, cedam tibi hujus certaminis victoriam. *Erasm.* Bonâ fide? *Casp.* Optimâ. Non enim potes aliâ viâ, nisi sic mittas sphæram tuam in parietem, ut resiliat in meam. *Erasm.* Id experiar. Quid ais bone vir? Nonne depulsus es? *Casp.* Fateor, utinam tam sapiens esses, quàm es felix. Sed ikthuc centies tentanti, vix semel successerit. *Erasm.* Imò si quid audes deponere pignoris, nisi tertio quoque experimento successerit, vinces. Sed interim redde pactum præmium. *Casp.* Quodnam? *Erasm.* Distichon. *Casp.* Reddam. *Erasm.* Et quidem ex-tempore. Quid arrodis unguem? *Casp.* Habeo. *Erasm.* Recita clarè. *Casp.* Clarissimè.

*Plaudite victori, juvenes, hîc quotquot adestis,*
*Nam me qui vicit, doctior est nebulo.*

Nonne distichon habes? *Erasm.* Habeo, sed quale abs te allatum est, tale tibi referetur.

## Colloquium XIX.

## LUSUS SALTUS.

*Vincentius, Laurentius.*

Libéne decertare saltu? *Laur.* Ludus iste non convenit pransis. *Vinc.* Quamobrem? *Laur.* Quia ventris saburra gravat corpus. *Vinc.* Non admodum sanè, qui pransi sunt in pædagogio. Nam hîc plerumque cœnaturiunt priusquam absolverint prandium. *Laur.* Quod igitur saliendi genus placet? *Vin.* Auspicemur ab eo quod est simplicissimum, utrâque tibiâ, sed junctis pedibus. Qui longissimè promoverit cingulum, coronam feret. Hujus ubi erit satietas, aliud atque aliud genus experiemur. *Laur.* Equidem nullum recusabo genus, nisi quod geritur cum periculo tibiarum: nolim mihi rem esse cum chirurgis. *Vin.* Quid si certemus unicâ tibiâ? *Laur.* Iste ludus est Empusæ; valeat. *Vinc.* Hastæ innixum salire, cumprimis est elegans. *Laur.* Liberalius est certare cursu. Siquidem hoc certaminis genus apud Virgilium proposuit & Æneas. *Vinc.* Verum; sed idem proposuit & cæstuum certamen, quo non delector. *Laur.* Designa stadium. Hoc loco sit carcer, quercus ista sit meta. *Vin.* Sed utinam adesset Æneas, qui proponat & præmia victori. *Laur.* Victori abunde magnum præmium est gloria. *Vinc.* Victo potiùs

dandum

dandum erat præmium, ſolatii gratiâ. *Laur.* Sit igitur victo præmium, ut lappâ coronatus redeat in urbem. *Vin.* Equidem non recuſârim, ſi tu præcedas tibiâ canens. *Laur.* Eſt ingens æſtus. *Vin.* Nec mirum, cùm ſit ſolſtitium æſtivum. *Laur.* Præſtiterit natare. *Vin.* Mihi non placet ranarum vita. Animal ſum terreſtre, non amphibion. *Laur.* Sed tamen hoc exercitamenti genus olim cumprimis habebatur liberale. *Vincent.* Imò etiam utile. *Laur.* Ad quid? *Vinc.* Si fugiendum ſit in bello, ibi potiſſimùm valent qui ſeſe curſu pedum & natatu exercuerunt. *Laur.* Artem narras haudquaquam aſſpernandam. Neque enim minus laudis eſt aliquando bene fugere, quàm fortiter pugnare. *Vinc.* Sum planè rudis, & imperitus natandi, nec ſine periculo verſamur in alieno elemento. *Laur.* Sed aſſueſcere oportet: nemo naſcitur artifex. *Vinc.* At ego iſtius generis artifices permultos audio natâſſe, ſed non enatâſſe. *Laur.* Experieris primùm innixus ſuberi. *Vinc.* Nec ſuberi fido magis quàm pedibus: ſi vobis cordi eſt natatio, ſpectator eſſe malo, quàm certator.

## Colloquium XX.

# RECREATIO VARIA.

*Paulus, Thomas, Vincentius, Laurentius, Bartholus.*

*Trahit sua quemque voluptas.* Mihi placet venatio. *Tho.* Placet & mihi: Sed ubi canes, ubi venabula, ubi cassides? *Paul.* Valeant apri, ursi, cervi, vulpes; nos insidiabimur cuniculis. *Vinc.* At ego laqueos injiciam locustis. Insidiabor gryllis. *Laur.* Ego ranas captabo. *Bar.* Ego papiliones venabor. *Lau.* Difficile est sectari volantia. *Bar.* Difficile, sed pulcrum: nisi pulcrius esse ducis sectari lumbricos, aut cochleas, quia carent alis. *Lau.* Equidem malo insidiari piscibus; est mihi hamus elegans. *Bart.* Sed unde parabis escam? *Laur.* Lumbricorum ubique magna est copia. *Bar.* Est, si tibi velint prorepere è terra. *Lau.* At ego mox efficiam, ut multæ myriades prosiliant. *Barth.* Quo pacto? incantamentis? *Laur.* Videbis artem. Imple hanc situlam aquâ. Hos juglandium summos cortices virentes confractos immittito. Hâc aquâ perfunde solum. Nunc observa paulisper. Vide . . . . . ? *Bart.* Rem prodigiosam video. Sic olim, opinor, exsiliebant armati, ex satis serpentis dentibus, velut Poetæ fabulantur. Sed plerique pisces delicatioris & elegantioris sunt palati, quàm

ut

ut eſca tam vulgari capiantur. *Lau.* Novi quoddam inſecti genus, & quo talibus inſidiari ſoleo. *Bart.* Tu vide an poſſis imponere piſcibus, ego tanis faceſſam negotium. *Lau.* Quomodo? reti? *Bar.* Non, ſed arcu. *Laur.* Novum piſcandi genus. *Bart.* At non injucundum. Videbis, & fateberis. *Vin.* Quid ſi nos duo micemus digitis? *Pau.* Ignavum eſt & ruſticum lusûs genus. Ad focum deſidentibus magis convenit, quàm in campo verſantibus. *Vin.* Quid ſi certemus nucibus? *Pau.* Nuces relinquamus admodum pueris: nos grandiuſculi ſumus. *Vin.* Quid tum? *Pau.* Sed quibus decorum eſt ludere nucibus, iisdem non indecorum eſt equitare in arundine longa. *Vinc.* Tu igitur præſcribito lusûs genus; ſequar, quócunque vocâris. *Pau.* Ego futurus ſum omnium horarum homo.

## Colloquium XXI.

## INFORTUNIUM.

*Mauritius, Cyprianus.*

Rediſti nobis obeſior ſolito. Rediſti procerior. *Cyp.* At equidem mallem ſapientior, aut doctior, aut felicior. *Maur.* Imberbis abieras, rediſti barbatulus. Contraxiſti tibi abſens nonnihil ſenii. Quid ſibi vult hic pallor? quid macies? quid frons caperata? *Cypr.* Ut eſt fortuna, ſic eſt corporis habitus.

bitus. *Maur.* Num adversa? *Cypr.* Nunquam mihi reflavit odiosiùs, quanquam & aliàs minùs mihi secunda. *Maur.* Quid ais? Doleo tuam vicem. Dolet mihi tua calamitas. Sanè molestè fero tuum istud infortunium. *Cypr.* Res meæ ad incitas redactæ sunt. Res in pejore statu esse non potest. Pejore in loco negotium non potest esse. Occidi; nullus sum; actum est de me. Heu, quantâ spe decidi! Heu, in quod malum incidi! *Maur.* Quid istuc est mali? *Cypr.* Universæ pecuniæ jacturam feci. *Maur.* Ubi? in mari? *Cyp.* Non. *Maur.* Ubinam igitur? *Cypr.* In itinere, spoliatus à latronibus. *Maur.* Quiesce: bene habet, quòd ipse evasisti incolumis. Præstat pecuniæ jacturam facere, quàm vitæ. Levius est pecuniæ dispendium, quàm famæ. *Cypr.* Vita quidem famáque incolumis, sed pecunia periit. *Maur.* Vita sarciri nullo pacto potest, fama ægrè potest, pecunia facilè aliunde sarcietur, facilè recuperabitur. Sed quî malum hoc accidit? *Cypr.* Nescio, nisi quòd ita visum est Deo. *Maur.* Ergo patienter illud tolerare convenit. Interim soletur te & hoc, quòd doctrina & virtus, quæ sunt tutissimæ divitiæ, tibi remanserunt, quippe quæ nec eripi possunt, nec gravant circumferentem.

Colloquium

## Colloquium XXII.

# CONFABULATIO OTIOSA.

*Conradus, Henricus.*

Quid fit? Quid agitur Henrice? *Hen.* Sedetur. *Conr.* Video. Sed quomodo se res habent tuæ? *Henr.* Ut solent iis, quibus Deus est parùm propitius. *Conr.* Isthuc ominis avertat Deus. Quid agis? *Henr.* Equidem otium ago. Id ago quod vides, nimirum nihil. *Con.* Præstat otiosum esse, quàm nihil agere. Ego te fortassis occupatum seriis negotiis interpello. *Hen.* Imò maximè vacuum. Jam enim me ceperat otii tædium, & congerronem desiderabam. *Con.* Fortassis impedio, interrumpo, interturbo tua negotia. *Hen.* Imò tædium otii discutis. *Conr.* Da veniam, si te parùm in tempore interpellavi. *Henr.* Imò in tempore advenis. Opportunè advenis. Optatus ades. Interventus tuus est mihi vehementer gratus. *Conr.* Fortassis aliquid seriæ rei inter vos agitur, cui nolim esse impedimento. *Hen.* Imò lupus, quod aiunt, ades in fabula. Nam de te sermo erat. *Conr.* Facilè crediderim. Nam mihi huc venienti mirè tinniebat auris. *Hen.* Utra? *Conr.* Læva. Unde conjicio, nihil magnificè de me fuisse prædicatum. *Henr.* Imò nihil non honorificum. *Con.* Vanum igitur fuerit, oportet. Sed quid causæ est,

quòd tamdiu me non inviseris? Quid rei est, quòd me tam rarò visis? Quid sibi vult, quòd me tamdiu non veneris? Quid accidit, quòd tanto tempore me non adieris? Quid obstitit, quid impedimento fuit, quò minùs viseres me frequentiùs? *Hen.* Non licuit per occupationes. Non patiebantur negotia, quibus involvebar. Negotiis meis imputabis, non mihi. Non defuit voluntas, sed vetuit necessitas. Hactenus non vacavit. Non licuit per valetudinem. *Can.* Equidem accipio tuam excusationem, sed eâ lege, ne sæpius utaris.

## Colloquium XXIII.

## COENA.

*Christianus, Augustinus, Petrus.*

Salve multùm, jucundissime Augustine. *Aug.* Salve tantundem, mi humanissime Christiane. Felix sit tibi hujus diei exortus. Prosper sit tibi hic dies. Quid tandem agitur? *Chr.* Suaviter, ut nunc nostræ res sunt. Et cupio omnia, quæ vis. *Aug.* Meritò te amo. Benignè dicis. Habeo gratiam. *Chr.* At ego nonnihil tibi succenseo. *Aug.* Quidnam est istud obsecro? Quid ita? Quamobrem tandem oro? Quid admisi sceleris? Quid commerui? *Christ.* Quòd nulla mei tibi cura sit. Quòd tam rarò nos revisas. Quòd me planè negligis. *Aug.* At nihil est causæ, cur succenseas. At præter

ter meritum meum. Neq; enim meâ culpâ accidit, quòd te rariùs viſam. Dabis veniam occupationibus meis, per quas mihi non licet toties, quoties cupio te reviſere. *Chr.* Ita demum tibi ignoſcam, ſi hodie apud me cœnes. *Auguſtin.* Haud iniquas pacis leges præſcribis, Chriſtiane, quare haud invitus faciam. Equidem faciam volens. Perlubenter; haud gravatè faciam. Hîc ſanè non [illegible] præbebo difficilem. Nihil hâc re [illegible] ubentiùs. *Chriſt.* Laudo tuam facilitatem, & in hac re, & in cæteris omnibus. *Auguſt.* Sic ſoleo amicis obſequi, præſertim non iniqua petentibus. Ridiculum! an tu me recuſaturum putabas oblatum, quod ultrò etiam erat rogandum? *Chr.* Agè, at cave ne me deluſeris. Cave fallas. Cave luſeris exſpectantem. Cave mihi verba dederis. *Auguſt.* Nihil opus jurejurando. In cæteris, in aliis time perfidiam; hac in re non fallam. Sed heus tu, cave quidquam paraveris, præter quotidiana: meâ causâ diem feſtum nolo. Scis me convivam minimè edacem, bibacem multò minùs. Nôſti enim me convivam non multi cibi, ſed joci plurimi. *Chr.* Curabitur diligenter. Ego te Pythagoricâ cœnâ excipiam, aut fortaſſe frugaliore. *Aug.* Imò Diogenicâ, ſi me delectare voles. *Chr.* Certè Platonicâ cœnâ te excipiam, in qua multum ſuſtinebuntur fabularum, cibi minimum,

cujus.

cujus voluptas duret etiam in posterum diem: alioqui, qui prolixè fuerit acceptus, fortassis eo die suaviter afficitur, sed postridie dolet caput, crudus est stomachus. Apud Platonem qui cœnabat, unam voluptatem capiebat ex apparatu facili, fabulisque Philosophicis; alteram postridie, quòd nec capitis gravedinem, nec stomachi cruditatem sentiret. Ita prandebat etiam suaviter ex condimento cœnæ pridianæ. *Augusti.* Placet, fiat ut mones. *Chr.* Tu vide omnes curas tuas, ac rugas etiam istas domi relinquas. Huc præter nugas & risum nihil adferas: et, ut inquit Juvenalis; *Protinus ante meum, quicquid dolet, exue limen. Aug.* Quid? Literas mecum venire non vis? Musas meas mecum adducam, nisi quid aliter censes. *Chr.* Tetricas Musas unà cum negotiis domi claudas. Blandas Camœnas omnes, deinde sales tuos, dicteria, scommata, facetias, lepôres, ridicula omnia tecum adducito. *Aug.* Ita fiet. Exporrigemus frontem. Bellos homunculos agemus. Ridebimus affatim. Curabimus cutem. Indulgebimus genio. Genialiter cœnabimus. *Ch.* Quò nunc properas? *Aug.* Ad generum meum. *Chr.* Quid illuc? Quid có? Quid illó? *Aug.* Audio nescio quid turbæ inter eos natum: ut redigam eos in gratiam, ut reducam in concordiam, ut pacem inter eos componam. *Ch.* Benignè facis, quanquam

nihil

nihil te opus esse arbitror. Nam ipsi inter se meliùs hoc bellum composuerint. *Aug.* Fortasſis. Sed numquid me aliud vis? *Chr.* Vocabo te per puerum meum. *Aug.* Ubi voles, domi ero. Bene vale. *Christ.* Bene sit tibi. Fac hîc ad quintam horam adsis. Heus Petre, accerse ad cœnam Augustinum, quem hodie, ut scis, cœnam condixit. *Pet.* En. Salve Portta. Cœna jamdudum parata est, tesserus exspectat domi; ubi voles, accúbas. *Augusſt.* Venio. Salve mi Christiane. *Ch.* Bene factum quod venisti. Gaudeo te advenisse. Gratulor mihi quòd venisti. *Aug.* Nondum quinta sonuit, credo. *Pet.* Imò jamdudum præterita est. Haud longè sexta abest. Instat hora sexta. Mox sextam audies. *Chr.* Parvi refert, an post quintam veneris necne, modò ne post cœnam. Nam post festum venire, miserum est. *Aug.* At quorsum tantus apparatus? Quorsum tot epulæ? Num me lupum existimas? Num tibi lupus videor? Num me vulturem putas? *Chr.* Non vulturem: sed tamen nec cicadam, ut rore vivas. Nihil est luxûs. Munditiem mihi semper placuit, sordes detestor. Nec Apitius mihi placet, nec Diogenes. Præstat aliquid superesse, quàm deesse. Si præter cicer nihil apponeretur, & fuligo fortè illapsa in ollam conderet legumen, quid tum ederetur? Nec omnia sapiunt omnibus. Itaque mihi placet moderata

rata varietas. *Aug.* Non tu metuis leges sumptuarias? *Ch.* Imò peccavi frequenter in diversum. Nihil nobis opus lege Fanniâ. Satis nos docet frugalitatem ipsa tenuitas. *Aug.* Haud ita convenerat. Longè aliter pollicitus es. *Chr.* Agè inepte, nec ipse conventa servas. Convenerat enim, ne quid præter nugas inferres. Quin hæc missa faciamus. Lavemus, ac discumbamus. Heus tu puer, cape guttum, ac patinam, linteum ex humero suspende, ministra aquam. Quid cessas? Lava Augustine. *Au.* Lava tu prior. *Ch.* Bona verba. Hoc anno perpetuò illotus cœnare mallem. *Au.* Ridiculum! non honoratiori, sed sordidiori ante alios lavandum est. Lava igitur, ut immundior. *Ch.* Tu es urbanus plus satis. Es urbanior quàm sat sit, quàm par est. Quorsum attinet ista urbanitas? Hujusmodi cæremonias mulierculis relinquamus; quæ nunc & ab aulicis fastidiuntur, unde tamen olim profectæ sunt. Lavetis terni aut quaterni simul. Ne teramus tempus hujusmodi moris. Ego nulli designabo locum: sumat sibi quisque quem voluet. Qui delectatur igni, hîc commodiùs accumbet. Qui offenditur luce, deligat hunc angulum. Quem delectat prospectus, hîc sedeat. Agite, satis morarum. Accumbite. Ego domi sum; vel stans cœnabo si lubeat, vel obambulans. Cessatis? At interim cœna corrumpitur. *Au.* Vivamus nunc, curemúsq; cuticulam,

cuticulam, ut solebant Epicurei. Nihil nobis cum fronte Stoica. Valeant curæ. Absit omnis livor, exulet obtrectatio. Sit mens læta, frons hilaris, sermo lepidus. *Ch.* Quinam sunt isti Stoici, atque Epicurei, Augustine? *Au.* Stoici Philosophorum quoddam genus erat triste, severum, jejunum, qui hominis summum bonum honesto metiebantur. Epicurei his longè diversi, felicitatem hominis voluptate terminabant. *Ch.* Heus Dromo, ades huc. Tuo munere fungere: consecra coenam. *Aug.* Quidquid appositum est, & quidquid apponetur, felix ac sacrum esse jubeat, qui suâ benignitate pascit universa, Amen. *Ch.* Appone epulas. Quid cunctamur capum hunc discerpere? Quid cessamus hunc gallum dissecare? *August.* Ego Herculem præstabo, ac belluam hanc conficiam. Utrùm mavis de ala, an de pectoribus? *Ch.* Utrùm vis, nihil meâ refert. *August.* In hoc genere alis primæ partes tribuuntur, in cæteris pectores lautiores putat vulgus. *Christ.* Tu multum laboris meâ causâ capis. Tu permultum laborem meâ causâ sumis. Tu omnibus ministras, ipse nihil edis. Ego tibi hanc alam ministrabo; at eâ lege, ut dimidium mihi restituas. *Aug.* Itáne agitur? An istud est tibi ministrare, non mihi. Tibi serva, ego enim mihi ipse prospiciam. *Chr.* Probè facis. *Aug.* Heus, tu lupo cibum ministras? Vulturem invi-

tas?

tas? *Chr.* Atqui jejunas, non cœnas. *Aug.* Imò, me uno nihil edacius. *Christ.* Imò abstinentius nihil. Proinde agito, ac si domi sis tuæ. *August.* Istud jam planè mihi persuasi. Istud jam in animum induxi. Sic stat sententia. Consilium est istud facere. *Chr.* Quid tibi hoc vinum placet? Quid hoc villi delectat? *Au.* Mihi quidem perplacet. Me certè vehementer juvat. Me satis delectat. Me non mediocriter juvat. *Ch.* Utrum mavis? rubrum, an candidum? *Au.* Equidem utroque juxtà delector. Nihil refert, quo sit colore, modò sapor placeat. Non laboro quantum oculis placeat vinum, modò palatum juvet. Nihil me movet aspectus, si sapor gratus sit. Parvi refert quo sit colore, quem habeat colorem, si sapiat bene. Non cupio oculos pascere, si palato satisfacere queam. Nihil moror colorem, modò gratus sit sapor. *Ch.* Credo. Atqui sunt cœnaticæ Philosophiæ cumprimis periti, qui negant vinum esse probandum, nisi quod placeat quatuor sensibus: oculis colore; naribus odore; palato sapore; auribus famâ & nomine. *Aug.* Ridiculum! quid fama conducit ad potum? *Ch.* Tantum, ut multi non stupidi palati vehementer probârint villum Lovanio vernaculum, cùm crederent esse Belnense. *Aug.* Fortasse jam longâ potione palatum obsurduerat. *August.* Imò nondum attigerant poculum. Tamen judicium

tuum

tuum audire cupio, hominis his in rebus peritissimi. *Aug.* Album nostrates rubro præferunt, quòd rubrum paulò sit acerbius, & alterum exilius quidem, sed illud mitius, &, ut arbitror, salubrius. *Christ.* Habemus & subrubrum, & flavum, & purpureum. Hoc mustum est hornum. Hoc bimum est, si quem capit vetustas. Habemus & quadrimum. Sed jam vappescit ac desipiscit senio. Ætate vigor evanuit. *August.* Luculli divitias audio. *Chr.* Heus puer, ubi cessas? Nos hîc planè negligis: non vides quanta sit hîc siccitas? Quod si hoc rerum statu incendium contingeret, quo restingueremus? Dato singulis plenos cyathos. Augustine, quid habes quòd parùm es hilaris? Quid accidit tibi quòd sedes tristior? Quid est tibi quòd minimè lætaris? Aut doles, aut carmina condis. Tu nunc Chrysippum agis, Melissâ tibi opus est. *Aug.* Quam hic mihi fabulam narrat? *Chr.* Chrysippus adeò fertur intentus fuisse suis astutiis Logicis, ut ad mensam etiam fame periturus fuerit, nisi ancilla Melissa cibum in os ingessisset. *Aug.* Ille verò indignus erat, qui servaretur. Sed si te offendit taciturnitas, placétque convivium vocalius, est quo id efficias. *Chr.* Memini: rectè admones: liberaliùs bibendum; largiùs, copiosiùs, meraciùs oportet bibere. *Aug* Rem acu tetigisti. Rectè judicas. Nam:

*Fœcundi calices, quem non fecere disertum?*

*Chr.* Per-

*Chr.* Perdoctè tu quidem Auguſtine, ut omnia; ſed quoniam in ſermonem vinarium, quando in mentionem incidimus vinorum, libet interrogare, quonam conſilio veteres illi Gentiles Bacchum, quem vini autorem videri volebant, Poëtarum Deum dixerint. Quid enim illi temulento gentili Deo cum Poetis, Muſarum virginum cultoribus? *Auguſt.* Quæſtio poculis digna: verùm quorſum tuæ quæſitiones ſpectent, ſatìs intelligo. *Chr.* Quorſum amabó? *Auguſt.* Aſtutè de vino diſputationem injicis Gallicâ techná, quam didiciſſe te Pariſiis ſuſpicor, nimirum quò minus interim abſumatur vini. Abi, virum te judico; non fruſtra in tanta Schola verſatus es. *Chr.* Accipio tua dicta: referam paria ſcommata, ubi erit commodum. Sed ad rem. *Auguſt.* Diſſolvam, ubi bibero. Siquidem abſurdum fuerit ſicco palato de quæſtione vinoſa diſputare. Præbibo tibi Chriſtiane. Propino tibi hunc ſcyphum dimidiatum. *Chr.* Accipio abs re libenter. Sit ſaluti: Proſit. *Auguſt.* Jam accingor, ut me miſſum facias. Ego meo more præpoſterè faciam. Quòd Baccho pueritiæ effigiem tribuerint, id habet myſterii, quòd vinum potum curas & ſolicitudines animis noſtris eximit, hilaritatémque quandam inducit. Quare ſenibus quoque ipſis juventam quandam reddere videtur, dum & hilariores facit, & formoſiores. Id quod Horatius, cùm multis

multis in locis, tum præcipuè his versibus apertè testatur.

*Ad mare cùm veni, generosum & lene requiro,*
*Quod curas abigat, quod cum spe divite manet*
*In venas animúmque meum, quod verba ministret,*
*Quod me Lucanæ juvenem commendet amicæ.*

Jam quòd huic dicârunt Poetas, id significatum voluisse suspicor, quòd & ingenium excitat, & facundiam ministrat, quæ duo Poetæ sunt aptissima. Unde frigent carmina, quæ scribuntur ab aquæ potoribus. Est quidem igneus suâpte naturâ Bacchus, sed adhibitis Nymphis redditur temperatior. Habes quod quærebas? *Chr.* Nihil unquam audivi verisimilius dici ab homine Poeta; dignus es, qui bibas gemmâ. Heus puer, tolle hanc patinam, atque appone cætera. *Aug.* Puerum habes admodum inurbanum. *Christ.* Est veterator nequissimus. *August.* Cur non instituis alio pacto? *Chr.* Difficile est canem vetulum loris assuescere. Difficilimum est veteratoris mutare mores. Vetulus canis non facilè assuescit loro. Me quidem dignus est. *Aug.* Dignum patellâ operculum. *Chr.* Decerperem tibi quidpiam, si palatum tuum tenerem. Ministrarem tibi; apponerem tibi, si quid potissimùm juvaret scirem.

ſcirem. Si nôſſem ingenium palati tui, eſſem tibi ſtructor. *Aug.* Equidem tantundem palato, quantum animo ſapio. *Chr.* Palatum habes eruditiſſimum. Nec eo te puto inferiorem, de cujus ſingulari peritia teſtatur Satyricus:

*Oſtrea callebat primo deprendere morſu,*
*Et ſemel aſſpecti dicebat litus echini.*

*Aug.* Et tu mihi, Chriſtiane, ut par pari referam, ipſum audiviſſe Epicurum, aut in Schola Catiana inſtitutus videris. Quid enim tuâ gulâ aut accuratius, aut faſtidioſius? *Chr.* Si oratoriam æquè artem ut culinariam callerem, nec Cicero ipſe me vinceret. *Aug.* Equidem ſi alterutrâ carendum eſſet, culinariam quàm rhetoricam mallem. *Chr.* Subſcribo tuo judicio. Quid tandem habes Eraſme, quòd parùm ſis hilaris? Quid ſibi vult corrugata frons? Quid ſilentium? An mihi ſuccenſes, quòd te frugaliore cœnâ acceperim? *Eraſm.* Imò tibi ſum iratus, quòd tantum impendii meâ causâ ſit factum. Interminatus erat Auguſtinus, ne ſuâ causâ diem feſtum faceres: vis nos poſthac redire nunquam. Nam talem cœnam dare ſolent ii, qui unam duntaxat dare conſtituiſſent. Quos tandem convivas videris accepiſſe? Non amiculis, ſed ſatrapis cœnam parâſſe videris. An nos heluones eſſe credis? Hoc non eſt dare cœnam, ſed triduanam ſaturitatem. *Ch.* Etiam tu pergis eſſe Demea? Cras,

ut

ut lubet, disputa; hodie Mitionem te præbeas, oro. De impendio cras sobrii disputabimus: nunc non nisi meras nugas audire libet. *Augusti.* Christiane, utrùm de bubulis an de ovillis carnibus mavis? *Chr.* Bubulis quidem magis delector, at ovillos magis salutares arbitror. Ita ingenium est hominum, ut perniciosissima quæque appetant vehementissimé. *Aug.* Galli suillas carnes mirum in modum amant. *Chr.* Galli amant quæ parvo constant. *Aug.* Hac una in re Judæus sum: nam nihil æquè odi ac carnes suillas. *Ch.* Nec injuriâ; quid enim insalubrius? Ego in hoc non cum Gallis, sed cum Judæis sentio. *Erasm.* At ego ovillas pariter amo & suillas; sed diversâ ratione. Nam ovillis, quòd amem, libenter vescor: Suillas præ amore non attingo, ne quid offendam. *Chr.* Bellus homo es, Erasme, ac festivus. Equidem mirari mecum soleo, unde tanta in palatis humanis diversitas. Nam, ut Horatiano carmine utar:

*Tres mihi convivæ prope dissentire videntur,*
*Poscentes vario multùm diversa palato.*

*Eras.* Quanquam, ut ait Comicus, quot homines, tot sententiæ; &, suus cuique mos; tamen nemo me adduxerit, ut credam plus ingeniis esse varietatis quàm palatis. Ita vix duos invenies, quos eadem juvent. Permultos vidi, qui butyri ac casei ne olfactum quidem ferrent. Sunt quibus carnes nauseæ sint:

sint: alius elixis, alius assis abstinet. Multi aquam vino præferunt. Et, quod incredibile est, vidi hominem, qui nec pane nec vino uteretur. *Chr.* Et quibus tandem miser ille victitabat? Quibus vescebatur? *Eras.* Cæterorum nihil fastidiebat, non carnes, non pisces, non olera, non poma. *Chr.* Vis ut istud tibi credam? *Eras.* Si lubet. *Chr.* Credo, at eâ lege, ut vicissim mihi mentienti fidem sis habiturus. *Eras.* Agè, faciam; modò verecundè mentiaris. *Chr.* Quasi verò sit quidquam tuo commento impudentius. *Eras.* Quid dicet frons tua, si hominem tibi commonstrem? *Chr.* Macilentum quempiam ac monogrammum esse oportet. *Eras.* Imò diceres athletam. *Chr.* Polyphemum potiùs. *Erasm.* Hoc tibi mirum videri demiror, cùm multi sint, quibus pisces vento durati sint panis loco: nonnullis hoc præstent herbarum radices, quod nobis panes. *Chr.* Credo, sed perge mentiri. *Eras.* Quendam in Italia, cùm illic agerem, videre memini, qui nullo neque cibo, neque potu adjutus, somno saginabatur. *Chr.* Ut nihil pudet! Non possum illud satyricum non dicere. *Tunc immensa cavi spirant mendacia folles.* Tu poetaris. Tu nunc poetam agis. Nam mentiris dicere, mihi religio est. *Erasm.* Mentiar, si non Plinius autor certissimus scripsit, ursum quatuordecim dies solo somno mirum in modum saginari, quo tamen ita altè premitur,

mitur, ut ne vulneribus quidem queat excitari. Imò quò magis mireris, addam quòd Theophraſtus ſcribit, per id tempus urſorum carnes coctas quoque, ſi aſſerventur, reviviſcere. Vereor ne Parmeno ille Terentianus iſta non contineat: mihi facilè fidem facis. Miniſtrarem tibi de cervinis carnibus, ſi ſatis eſſem urbanus. *Eraſm.* Unde tibi nunc venatio? Unde ferina? *Chr.* Midas, homo hominum, qui vivunt, liberaliſſimus, noſtríque amantiſſimus, mihi miſit dono: dono quidem, ſed ſic, ut ego minoris emam ſæpenumero. *Eraſm.* Qui ſic? *Chr.* Quia famulis plus dandum quàm daretur in macello vendenti. *Eraſm.* Quæ res cogit hoc facere? *Chr.* Tyrannus omnium violentiſſimus. *Eraſm.* Quis iſte? *Chr.* Mos. *Eraſ.* Profectò tyrannus iſte, frequenter iniquiſſimas leges obtrudit mortalibus. *Chriſt.* Idem ſuo more nudiuſtertius hunc cervum venatus eſt. Quid tu, qui ſoleas iſtius ſtudii eſſe amantiſſimus? *Auguſt.* Equidem hoc ſtudio planè relicto, jam præter literas nihil venor. *Chr.* At mihi videntur literæ quovis cervo fugaciores. *Auguſt.* Duobus tamen potiſſimùm canibus illas aſſequimur, admiratione ſcilicet, atque improbitate laboris. Nam admirari plurimum diſcendi ardorem miniſtrat; &, ut facundiſſimus Poeta ſcripſit, *Labor omnia vincit Improbus.* *Chr.* Amanter admones, Auguſtine, ut ſoles: propterea

prerea non desistam, non quiescam, non defatigabor, donec consequar. *Aug.* Carnes cervinæ sunt nunc admodum tempestivæ. Meminit Plinius de hoc animante quiddam admirabile. *Chr.* Quidnam obsecro? *Aug.* Quoties arrexere aures, acerrimi esse auditûs: at contrà, cùm remisere, surdos. *Ch.* Istud ipsum mihi sæpenumero obvenit. Nam si quando fiat sermo de recipiendis aureis, nihil tam auritum; hîc enim cum Pamphilo ille Terentiano aures arrigo: ubi de numerando verba fiunt, illico demitto, & surdus fio. *Augusti.* Laudo te, facis ut te decet. *Ch.* Vis de his leporinis clunibus? *Aug.* Tibi sumito. *Chr.* An de tergo mavis? *Aug.* Hoc animal præter ilia & clunes nihil habet appetendum. *Ch.* Vidistine unquam leporem candidum? *Aug.* Sæpenumero Plinius in Alpibus candidos reperiri scribit, quibus hybernis mensibus nivem pro cibatu esse sit creditum. An verum sit, Plinius ipse viderit. Quòd si leporis cutem candidam reddit nix, stomachum habeat candidum necesse est. *Chr.* Mihi verisimile non sit. *Aug.* Accipe magis admirandum, & fortasse tibi non inauditum. Idem utramque vim singulis inesse testatur, maris & fœminæ: ac fœmellas sine mare æquè gignere. Istud ipsum multi asseverant, præsertim venandi studiosi. *Christ.* Est ita ut dicis, Sed hos cuniculos, si placet, tentemus, quia pinguiusculi sunt, ac tenelli. Ministrarem

niſtrarem illi Nymphæ, ſi propiùs aſſiderem. Auguſtine, iſtius tibi vicinæ curam age, ſi libet. Calles enim, quo geſtu ſit miniſtrandum iſtis Veneribus. *Aug.* Teneò quid dicas, naſute. *Chr.* Quid te anſerinæ carnes delectant? *Aug.* Me quidem non mediocriter juvant, ut ſum minimè faſtidioſus. *Chr.* At hic anſer, neſcio quo pacto, nihil me juvat: nihil enim in vita vidi ſiccius: ſiccior eſt pumice, aut etiam novercâ Furii illius, in quem Catullus multùm jocatur. Ligneus mihi videtur. Et profectò, quantum ſuſpicor, veteranus miles immodicis excubiis ſeſe maceravit. Aiunt enim, anſerem inter omnia animalia longè eſſe vigilantiſſimum. *Aug.* Niſi conjecturâ fallor, hic anſer ex eorum numero eſt, qui canibus unà cum excubitoribus ſomno ſopitis, Romanum olim Capitolium defenderunt. *Chr.* Veriſimile dicis: nam ex eo ſeculo relictum arbitror. *Au.* Hæc quoq; gallina, aut parcum ſaginatorem habuit, aut amavit, aut certè, zelotypa vixit quo quidem morbo hoc animantis genus maximè laborat. Hic capus longèmeliùs pinguit. Vide curæ quid faciant. *Chr.* Libétne de jecore anſerino, quod apud veteres in deliciis cumprimis habebatur? *Au.* Non ſum rejecturus quod à tua manu venerit. *Chr.* Non eſt quòd exſpectes Romanas delicias. *Aug.* Quas? *Chr.* Carduos, cochleas, teſtudines, fungos, boletos, tubera.

*Aug.* Istis omnibus vel rapam præferam. *Chr.* Has perdices nemo attingit, ne columbas quidem. *Aug.* Benignus es, Christiane. Satisfactum est appetitui. *Chr.* Agite hospites humanissimi, quæso ut cœnulam nostram, licet tenuem, æqui bonique consulatis. Præbete vos hilares ac lubentes, quamvis convivium tenue sit, & frugale: ego vestrâ facilitate fretus, familiariter vos vocare sum ausus. Est sanè vester mihi adventus conspectúsq; non modò gratissimus, verùm etiam jucundissimus. *Aug.* Cœna tua, Christiane optime, multis modis elegans, lautáque nobis videtur. Quod excusas, id unum habet accusandum. Nam magnificentior est, quàm sat sit. Siquidem hoc convivium opiparum inprimis, ac laurum judicârim, quòd primùm simplicibus epulis, deinde hilaritate, risu, jocis, salibus sic conditum, quæ omnia nostro convivio non defuerunt. *Chr.* Verùm de convivarum numero hîc mihi quiddam in mentem venit, quos neque pauciores tribus, neque plures novem esse oportere scripsit Varro. Tres enim sunt Charites, id est, Gratiæ, humanitatis ac benevolentiæ præsides; & novem sunt Musæ, honestiorum studiorum duces. At hîc decem convivas esse video, virginibus exceptis. *Aug.* Nihil convenientius accidere potuit. Nos sumus Varrone ipso paulò sapientiores. Nam tres puellas lepidissimas,

tanquam

tanquam tres Charites adhibuimus. Deinde, quia à novem Musarum choro Apollo abesse nunquam credendus est, jure decimum adjecimus convivam. *Chr.* Poeticè dixisti. Si mihi laurus adesset, laureâ coronâ caput tuum cingerem, fierésque Poeta laureatus. *Aug.* Si malvâ coronatus essem, malvatus. Tantum honoris mihi non arrogo. Honor hic major, quàm ut mihi conveniat. Haud equidem tali me dignor honore. *Chr.* Vultisne singuli tantundem meâ causâ facere, quantum vestrâ sum facturus? *Con.* Volumus, ac lubentes quidem. *Chr.* Ebibetis igitur ordine suum quisque calicem: à me exemplum capietis. Tibi hoc primum propino Mida. *Mid.* Accipio abs te libenter. Equidem non recuso. Nihil tuâ causâ reculabo. *Chr.* Tu deinde cæteris propina. *Mid.* Etasme, præbibo tibi dimidiatam pateram. *Eras.* Precor, ut sit tibi bono. Sit tibi bonum atque commodum. Prosit tibi. *Chr.* Sed cur cessat patera? Cur non obambulat? Deficit nos vinum. Ubi sunt oculi tui, furcifer? Vola, adfer ejusdem generis sextarios duos. *Pu.* Brasme, salve; quidam præ foribus te conventum expetit. *Erasm.* Quisnam est? *Pu.* Mori se famulum dicit: herum ejus ex Britannia advenisse; cupere, ut se visas, quandoquidem primâ luce iter parat in Germaniam. *Eras.* Christiane, subducatur ratio; nam mihi quidem abeun-

dum. *Chr.* Rationem, Eraſme doctiſſime, hujus cœnæ ego conſecero. Non eſt quòd calculum fruſtra teras. Gratiam habeo, qui dignatus ſis noſtro adeſſe convivio. Sed avocari te moleſtum eſt, nondum peractâ fabulâ. *Eraſ.* Quid ſupereſt, niſi ut dicam, Valete & plaudite? *Chr.* Age, boni conſulemus, quando tu non ab equo ad aſinos, ſed ab amicis ad amiciſſimos properas. *Eraſ.* Ego pariter tibi gratias ago, quòd pro tua humanitate ad hoc convivium longè ſuaviſſimum me vocâris. Valete ſodales optimi. Bibite non ſegniter, & vivite ſuaviter. *Chr.* Heus Dromo! Sedetis jamdudum otioſi omnes. Libétne cuiquam quidquam amplius? *Conr.* Nihil omnino. Strenuè munus noſtrum adminiſtravimus. *Chr.* Tolle igitur hæc, ac bellaria appone. Muta quadrulas arque orbes. Tolle cultrum meum qui humi decidit. Pyra vino perfunde. Adſunt mora præcoqua, etiam domi noſtræ nata. *Aug.* Tantò erunt ſuaviora, quòd vernacula. *Chr.* En pruna cerea; en Damaſcena, rarum apud nos ſpectaculum. En mitia mala. En mali novum genus, cujus matrem ego hiſce manibus conſevi. Nuces caſtaneæ: omne deliciarum, quas horti noſtri benignè effundunt, genus. Sed floſculi deſunt. *Aug.* Iſti Gallici ſunt apparatus, qui magnificentiam eam potiſſimùm amant, quæ minimo conſtat. Nobis non eſt ea mens, aut ingenium.

*Chr.*

*Chr.* Non apud Gallos tantùm reperies, quibus ea placent quæ minimo conſtant. Sed heus tu Auguſtine, num tu credis te hîc immunem bibiſſe? Egóne te meis immunem tinxero poculis? At interim propinatori tuo dimidium ſcyphi debes. *Aug.* Is jamdudum me miſſum fecit. Is mihi hujus debiti gratiam fecit. *Chr.* Unde ille ſibi vendicat tantum autoritatis? Vix Romanus Pontifex hoc vinculi relaxet. Nôſti priſcam convivarum legem; Aut bibe, aut abi. *Aug.* Remittendi jurisjurandi jus habet, cui factum eſt, & cujus intererat ſervari. *Chr.* Sed omnium convivarum intereſt, ſervari leges inviolabiles. *Aug.* Agè, quando hæc eſt Germanorum religio, exſorbebo quod reliquum eſt. Sed quid tibi rei mecum eſt? *Chr.* Impendium reddas oportet unus nomine omnium. Quid expalluiſti? Ne verere, perfacilè poteris. Fac quod ſæpe feciſti, ut aliquâ elegantiâ doctiores à cœna ſurgamus. *Aug.* Sed convivis parcendum eſt, quos hæc non omnes perinde delectant. A cœna inter deambulandum, id quod rationi deerit perſolvemus, niſi quid aliud cenſes. *Chr.* Fiat ex tua ſententia. Agamus gratias divinæ benignitati, deinde pauliſper deambulaturi. *Aug.* Pulcrè dicis. Nihil enim hoc veſpertino cœlo amœnius, nihil ſalubrius. *Chr.* Petre, adesdum. Tolle ſuo quæque ordine, ac vinum cyathis infunde.

*Petr.* Jubésne agi gratias? *Chr.* Age. *Petr.* Græcè mavis an Latiné? *Chr.* Utreque modo. *Petr.* Gratias agimus tibi pater cœlestis, qui tuâ ineffabili potentiâ condidisti omnia, tuâ inscrutabili sapientiâ gubernas universa, tuâ inexhaustâ bonitate cuncta pascis ac vegetas, largire filiis tuis, ut aliquando tecum bibant in regno tuo nectar illud immortalitatis, quod promisisti, ac præparâsti verè diligentibus te, per Jesum Christum, Amen. *Chr.* Habeo vobis hospites candidissimi gratiam, qui ad hoc conviviolum venire dignati sitis: Oro, æqui bonique consulatis. *Con.* Nos viciſſim gratiam referre volumus, non tantùm habere. Proinde ne multis agantur gratiæ. Quin potiùs surgamus, & exspatiamur. *Aug.* Ducamus nobiscum virgines: nam eò minùs molesta erit perambulatio. *Chr.* Rectè sentis. Ne desint nobis floscvli, si fortè locus flores non habebit. Utrum mavis, nostris in hortis more poetico reptare, an foris ad amnem exspatiari? *Aug.* Habent quidem horti tui amœnitatis permultum, verùm eam voluptatem matutinis deambulationibus serva. At sole inclinato, amnium aspectus oculos mirum in modum juvat. *Con.* Antecede igitur Auguſtine, ut Poetâ dignum est: latus tuum claudam. *Auguſt.* Bone Deus! quantum comitum, quantam pompam nobiscum ducimus! Dici non potest, Christiane,

quantum

quantum mihi nunc placeam : Satrapes mihi videor. *Chriſtian.* Agè, nunc promiſſum præſta. Solve quod recepiſti. *Auguſtinus.* Fiet. *Chriſtian.* Sed ſol nos relinquit. Humeſcit cœlum ; præſtat imitari aviculas, tectóque ac lecto nos condere. *Auguſtin.* Proinde vale, mi Chriſtiane ſuaviſſime, in craſtinum. *Chr.* Tu itidem bene valeas, Auguſtine omnium doctiſſime.

## Colloquium XXIV.

## LUCUBRATIO.

*Plinius, Epictetus, Celſus, Didymus.*

Hora eſt à meridie quinta. Heus Epicrete! claude mihi feneſtras illas, & infer huc lumina ad lucubrandum. *Epict.* Quæ lumina? *Plin.* Interea dum hi adſunt, candelas ſebaceas aut cereas ; ubi receſſerint, tolletis eas, & ſtatuetis hîc mihi lychnum. *Celſ.* Quorſum id? *Plin.* Ad lucubrandum. *Celſ.* Quin ſtude potiùs de manè ; tunc enim videtur & temporis ratio, & qualitas corporis invitare, cùm eſt minimum vaporum in cerebro, peractâ concoctione illâ evaporatoriâ. *Plin.* Etiam hæc hora tranquilliſſima eſt, cùm quieſcunt & ſilent omnia ; atque iis, qui ſimul prandent & cœnant, non incommoda. Nam ſunt qui cœnant tantùm, more priſco ; alii prandent ſolùm, ex placitis recentium Medicorum ; alii & prandent, & cœnant, more Gothico. *Celſ.* An

non ante Gothos erant prandia? *Plin.* Erant, ſed levia. Gothi morem invexerunt, bis in die ſaturum fieri. *Celſ.* Qua de cauſa Plato menſas Syracuſanas damnat, in quibus quotidie exſaturentur bis? *Plin.* Ex eo colligas, fuiſſe rariſſimas. *Celſ.* Sed miſſa iſthæc faciamus. Cur lucubras ad lychnum potiùs quàm ad candelam? *Plin.* Propter flammam æquabilem; minùs lædit oculos: Illa enim criſpatio myxi officit oculis, & ſebi odor inamœnus eſt. *Celſ.* Utere cereis, quorum odor non eſt ingratus. *Plin.* Myxus eſt in his magis tremulus, nec vapor ſalubris: & in ſebaceis ellychnium eſt lineum plerumque, non xylinum: ut propolæ iſti ex omnibus quærunt compendium cum fraude. Infunde oleum in lucernam hanc, profer acu myxum, & emunge. *Epictet.* Quàm hæret fungus acui! Signum dicunt eſſe pluviæ, quemadmodum eſt apud Virgilium; *Scintillare oleum, & putres concreſcere fungos. Plin.* Adfer etiam furcillam, & emunge candelam hanc: Ne projiciat fungum in pavimentum, ne fumiget; ſed opprime intra emunctorium. Profer mihi pallam lucubratoriam, prælongam illam pelliram. *Cel.* Ego te tuis libris commendabo. *Plin.* Statue menſam ſuper tibicines in cubiculo. *Epict.* Mavis menſam quàm pluteum? *Plin.* Etiam, hoc quidem tempore: ſed pone ſupra menſam

pluteo-

pluteolum. *Epict.* Stabilem, an volubilem? *Plin.* Quem malis. Ubi eſt Didymus meus à ſtudiis? *Epict.* Eo illum accerſitum. *Pl.* Et huc adducito puerum exceptorem; nam lubet aliquid dictare. Da mihi illos calamos, & pennas duas aut tres cannæ amplæ, & thecam pulverariam. Profer mihi ex armario Ciceronem & Demoſthenem, tum ex pluteo codicem exceptorium, & regeſta majuſcula: audin'? & meas ſchedas, ſeu adverſaria, in quibus libet nonnulla expolire. *Didym.* Non arbitror eſſe ſchedas tuas in pluteo, ſed in ſcrinio conclavis. *Plin.* Id verò ipſe ſcrutabor. Adfer mihi Nazianzenum. *Didym.* Non noſco. *Plin.* Liber eſt minimè ſpiſſus, conſutus, & tectus membranâ ruditer. Adfer quoque codicem quintum à primo. *Did.* Quæ eſt inſcriptio illius? *Plin.* Xenophontis commentarii: liber eſt expolitus, tectus corio cum uncinulis, & umbilicis cupreis. *Didym.* Non invenio. *Plin.* Nunc memini, in quarto loculamento eum repoſui; illinc prome. In eo loculamento non ſunt niſi libri ſoluti & rudes, quales recèns adferuntur ab officina. *Did.* Ecquod corpus Ciceronis poſcis? nam ſunt quatuor. *Plin.* Secundum. *Epict.* Nondum eſt relatum à librario glutinatore, cui dedimus nudius, ut puto, quintus. *Did.* Quàm placet tibi hæc penna? *Plin.* Non ſum in eo valde ſolicitus: quæcunq; in manus ve-

nit, eâ ſic utor, tanquam bonâ. *Didym.* Hoc habes Ciceronis. *Plin.* Conquieſcite: reclude mihi Ciceronem, aperi, evolve adhuc tria aut quatuor folia ad quartum Tuſculanarum quæſtionum; quære ibi de manſuetudine & lætitia. *Epict.* Cujus ſunt hi verſus? *Didym.* Ejus ipſius, quos de Sophocle vertit, quod facit ſanè lubens, ac proinde ſæpe. *Epict.* Erat credo ad carmen componendum ſatis aptus. *Celſ.* Aptiſſimus ac facilimus; nec, ut illo ſeculo, infelix, contrà quàm exiſtimant plurimi. *Epict.* Sed tu quomodo intermiſiſti ſtudium Poeticæs? *Celſ.* Aliquando repetemus ſubciſivis horis, ut ſpero: nam habet multum levamenti à ſtudiis gravioribus. *Plin.* Defeſſus ſum jam ſtudendo, meditando, ſcribendo: ſterne mihi lectum. *Epict.* In quo cubiculo? *Plin.* In lato illo & quadrato: & tolle ex angulo lectulum lucubratorium, transfer in cœnationem, pone ſuper culcitram plumeam alteram tomenti lanei; vide ut fulcra lecti ſint ſatis firma. *Epict.* Quid refert tuâ, qui non cubas in alterutra ſpondarum, ſed in medio? Sed ſalubrius foret, ſi lectus eſſet durior, & qui corpori reſiſteret. *Plin.* Tolle cervical, & pro tempore pulvinos duos: in hoc æſtu malo plagam illam, quàm arcta iſthæc lintea. *Epict.* Sine lodice? *Plin.* Etiam. *Epict.* Algebis, nam ſurgis à ſtudiis extenuato corpore. *Pl.*

Injice

Injice ergo ſtragulum aliquod leve. *Epict.* Iſtud? Nullum aliud ſtragulum? *Plin.* Nullum: ſi ſentiam frigus in lecto, poſcam plus veſtium. Auſer illa velaria; nam ad culices excludendos malo linea. *Epict.* Culices paucos hîc ſenſi, pulices & pediculos ſatis multos. *Plin.* Ego verò miror te aliquid ſentire, qui ſic dormias & ſtertas. *Epict.* Nemo dormit meliùs, quàm qui non ſentit quàm malè dormiat. *Plin.* Nihil horum animalculorum, quibus per æſtatem in cubiculis infeſtamur, tam movet nauſeam quàm cimices odore illo tetertimo. *Epict.* Satis bonus proventus eſt eorum Lutetiæ, ac Lovanii. *Plin.* Eſt genus ligni, quod illos creat Lutetiæ, & argilla Lovanii. Colloca hîc mihi horologium excitatorium, & obſcem infigito in horam quartam matutinam, neque enim volo diutiùs dormire. Excalcia me; pone hîc ſellam plicatilem, in qua ſedeam: matula in ſcabello ſit mihi juxta lectulum parata. Neſcio quid hîc oleat malè; ſuffias paulùm thuris, aut juniperi. Lege aliquid ex ſacris, ubi heri ſubſtiriſti. Dehinc cane lyrâ aliquid lectum ingredienti, more Pythagorico, ut citiùs obdormiam, & ſomnia ſint placidiora.

Collo-

## Colloquium XXV.

## CUBICULUM.

*Adrianus, Gualiberus.*

Quid ita ſedes nutanti capite? *Gual.* Dormiturio. *Adr.* Certè non dormiturus, ſed revera dormis. *Gu.* Fortaſſis. *Adri.* Quin ergo ſurgis, & cubitum pergis? *Gu.* I mecum unà. *Adr.* Cur me petis comitem? An lemures times? *Gual.* Minimè; ſed quia friget lectus. Die obſecro, ecquota hora? *Adr.* Octava. *Gu.* Quotam dicis? Quota audita eſt? *Adr.* Octava inquam: Adcóque nona imminet. *Gu.* Quid ais? Vix fidem habeo. *Adr.* Atqui vera loquor: nona prope inſtat. Atque audin' illam? Hem, nonne prædixi? *Gual.* Ergo tempus eſt eundi cubitum. *Adr.* Ego nondum dormiturio. *Gu.* Vigila tu quoad placuerit; ego ibo. *Adr.* Abi tu, ſomnolente Endymion. *Gu.* Ita quidem tu me appellas, ſed id nominis rectiùs tibi convenit. *Adrian.* Res ipſa nunc loquitur, uter major ſit Endymion. *Gu.* Nempe tu, qui aliàs ſemper me prior te cubitum confers. Ac demiror, unde hæ jam tibi vigiliæ. Mirum, ni interdiu alicubi protenſus in gramine, ſtertendo aliquot horas perdidiſti. *Adr.* Scilicet! De te conjecturam facis. *Gu.* Novi ingenium tuum. *Adrian.* Ex tuo ingenio alios

alios judicas. *Gual.* Agè, voco te in pignus quodcunq; : Si unquam posthac ante nonam lectum petiero, solidum pendam : Vicissim tu, si idem feceris eâdem teneberis lege. *Adr.* Placet conditio. *Gu.* Nunc opto fauſtam noctem. *Adr.* Eho, oblitus precum ? *Gu.* Precabor in cubiculo tacitè. *Adr.* Nisi te somnus opprimat. Legendum priùs aliquid erat ex sacris. *Gu.* Id quidem facere soleo, sed jam me urget somnus. *Adr.* Abi sanè, dormi feliciter : subsequar, quando commodum fuerit.

# PARS SECUNDA.

## Colloquium XXVI.

## VESTITUS.

*Malvenda, Bellinus, Joannius, Gomezulus.*

*NEmpe hoc assidué ? jam clarum mane fenestras Intrat. --- Sternimus, indomitum quod despumare Falernum Sufficiat. --- Bel.* Apparet profectò insanire te ; nam alioqui nec tam multò manè esses experrectus, nec versus funderes, & quidem satyricos, quò manifestiùs rabiem tuam patefacias. *Mal.* Accipe ergo Epigrammatarios, edentulos, & falsos. *Surgite ; jam pueris vendit jentacula pistor : Crisataque sonant undique lucis*

*Lucis aves.* *Bel.* Iſtud de jentaculo citiùs mihi ſomnum excuteret, quàm clamores tui. *Mal.* Feſtiviſſime nugator, precor tibi felicem hunc diem. *Bel.* Ego tibi fauſtam hanc noctem, & bonum cerebrum, ut ſimul & dormire poſſis, & ſolutâ oratione loqui. *Mal.* Quæſo te, ſeriò reſponde, ſi modò ſeriò potes unquam loqui: quam horam cenſes nunc eſſe? *Bel.* Medium noctis, vel paulò ampliùs. *Mal.* In quo horologio? *Bel.* In meo domeſtico. *Mal.* Ubi tandem eſt horologium tuum domeſticum? Tu horologium unquam habueris, aut inſpexeris, cui omnis hora eſt ſemper dormiendi, edendi, ludendi, ſtudendi verò nunquam? *Bel.* Atqui hîc ego habeo horologium mecum. *Mal.* Ubi? Oſtende. *Bel.* In meis oculis: videut nullâ vi aperiri poſſint! obdormi rurſus obſecro, aut certè tace. *Mal.* Quid (malum!) eſt veternus hic? Quamdiu putas nos jam dormîſſe? *Bel.* Horas duas, vel ad ſummum tres. *Mal.* Ter ternas. *Bellin.* Quô fieri, iſtud poteſt? *Mal.* Gomçaule, i curriculò ad ſolarium Franciſcanorum, & contemplare, quota ſit hora. *Bellin.* Apage ſolarium, cùm ſol nondum ſit ortus. *Mal.* Ortus vero? Aperi feneſtram iſtam vitream, heus tu puer, ut verberet ſol hujus oculos ſuis radiis: plena ſunt jam ſole omnia, & umbræ minores. *Bel.* Quid tibi eſt rei cum ortu ſolis,

ſolis, & occaſu? Sine illum priorem te ſurgere, cui majus eſt conficiendum iter diurnum. Gomezule, curſim contendito ad D. Petri, ibi aſſpicito & in horologio machinali quæ ſit hora, & in gnomone. *Gom.* Utrumq; ſum intuitus. In ſolario parùm abeſt umbra à ſecunda linea. In horologio digitus indicat horam paulò plùs quintam. *Bellin.* Quid narras? Aliud reſtat ergo agendum tibi; ut huc ſiſtas mihi fabrum ferrarium ex vico lapideo, qui forcipe diſjungat has palpebras tam adfixas: dic ei, revellendam eſſe è foribus ſeram aliquam, cujus ſit amiſſa clavis. *Gom.* Ubinam habitat? *Mal.* Iſte verò ſeriò accerſeret. Deſine jam nugari, & ſurge. *Bellin.* Surgamus tandem, quando ita obſtinâſti animo. Vah! quàm es odioſus ſodalis! Exſuſcita me, Chriſte, ex ſomno peccati ad vigiliam juſtitiæ: transfer me ex nocte mortis ad lucem vitæ, Amen. *Mal.* Feliciter procedat tibi hæc lux. *Bel.* Et tibi hæc eadem, & aliæ quàm plurimæ lætæ, ac fauſtæ; hoc eſt, ut eam ita tranſigas, ne cujus famam lædas, neu quis tuam. Puer, adferto ſubuculam mundam: nam hanc jam totos ſex dies geſtavi. Hem arripe pulicem illum ſaltitantem. *Joan.* Omitte nunc venationem pulicum: quantulum erit, pulicem unum in cubili hoc extinxiſſe? *Mal.* Quantam guttam unam aquæ Rheni adimere. *Bell.* Imò verò mari ipſi,

ipsi, vel Oceano. Nolo hanc subuculam collari rugato, sed alteram illam plano. Nam rugæ hæ quid aliud sunt hoc tempore, quàm nidi aut receptacula pediculorum & pulicum? *Mal.* Inepte, exsistes repentè dives; habebis pecus album & pecus nigrum. *Bel.* Peculium numerosum magis quàm quæstuosum: & comites, quos malim semper videre in vicinia, quàm domi meæ. Jube famulam resuere latera hujus subuculæ, & quidem filo serico. *Gom.* Non habet. *Bel.* Lineo igitur, aut laneo, aut etiam, si ita libet ei, sparteo. Nunquam famula hæc habet quod est opus; quod verò non est opus, affatim. Te verò nolo ego esse divinatorem. Exsequere mandatum meum, & renuncia: ne arioleris quid sit futurum. Excute pulverem è fœminicruralibus concussu. Hinc purga diligenter muscario illo setaceo. Udones dato itidem mundos: nam hi sunt jam exsudati & pedore olidi. Phui! amove eos ist hinc continuò, offendit me fœtor gravissimè. *Gom.* Vis interulam? *Bel.* Non; nam ex luce solis colligo diem fore calidam. *Gom.* Vin' vestem gossipinam, an coccinam, aut sericam, aut polymitam, aut laneam, aut laneam hetcromallam, an potiùs sericam heteromallam, seu holosericam, an verò subsericam? *Bel.* Thoracem illum dimidiis manicis, & tunicam simplicem gossipinam, cum vinculis vestiariis oblongis. *Mal.* Quid

istu-

isthuc rei est? Quonam ire cogitas, ut tam ornes te præter morem tuum? Præsertim cùm sit dies profestus? *Bell.* Et tu, cur induisti bombycinam levem recentem ab officina, cùm habeas caripiliam, & damascenam detritam. *M.* Ego verò in hisce meis magis commoditatem specto vestitûs, quàm ornatum. *Bell.* Uncinuli isti & orbiculi sunt laxati. Tu improbe, inconsideratè semper dissolvis. *M.* Ego potiùs utor globulis, & ocellis, quod est decentius, & minùs in induendo & exuendo molestum. *Bell.* Non est idem omnium judicium in his, ut in reliquis omnibus. Pectorale hoc tunicæ condito in arcam, nec proferas totâ æstate. Astrigmenta hæc strenuè sunt exarmata suis ferreis. Limbus hic est dissutus & discerptus; cura reficiendum: sed vide ne adsuantur deformes commissuræ. *Gom.* Non poterit id perfici ante sesquihoram. *Bel.* Adfige ergo aciculâ, ne pendeat: dato periscelides. *Gom.* Adsunt: Calceolos cum crepidis longi obstraguli paravi tibi, pulvere bene excusso. *Bell.* Calceos potiùs exterge situ, ac nitida. *Mal.* Quid est ligula in calceo? *Bell.* Illa adsuitur calceis Hispanicis in summa planta; hîc non habent. *Malv.* Et in Hispania jam desuescunt apponere, calceatu Gallico. *Bell.* Accommoda mihi tuum pectinem eburneum. *Mal.* Ubi est tuus ligneus, & quidem Parisiensis? *Bell.* Non audisti heri me objurgantem Gomezulum?

lum? *Mal.* Objurgare vocas tu ferire? *Bell.* Hoc illud erat: fregerat quinque, aut sex radios pectinis ex densis, ex raris penè omnes. *Mal.* Legi nuper scriptorem quendam præcipere, ut eburno pectine pectamus caput, quadragies ducto à sincipite ad verticem, & inde ad occipitium. Quid agis? Hoc non est pectere, sed mulcere: cedò pectimen. *Bellin.* Neque istuc est pectere, sed radere, aut verrere. Credo habere te caput testaceum. *Mal.* Et ego te butyraceum, adeò non audes attingere. *Bellin.* Vin' tu igitur, ut mutuò atteramus capita? *Mal.* Nolo tecum contendere insaniâ, nec committam bonam mentem meam cum tua dementia. Ablue jam tandem manus & faciem: sed os potissimùm, ut mundiùs loquaris. *Bel.* Utinam adeò citò animum perpurgarem, ut manus! Dato malluvium. *Mal.* Confrica paulò diligentiùs nodos istos manûs, quibus hærent sordes densissimæ. *Bel.* Falleris. Nam puto esse potiùs decoloratam pellem & rugatam. Abjice has malluvias, Gomezule, in cloacam illam, & cedò mihi reticulum, & pileum clavatum. Adfer jam ocreas. *Gom.* Itineratiásne? *Bel.* Non, sed urbanas. *Gom.* Vis cucullionem, an pallium? *Bel.* Sumus foràs prodituri? *Mal.* Quidni? *Bel.* Adfer igitur lacernam.

Colloquium

## Colloquium XXVII.

## DE AMBULATIO.

*Eadem personæ.*

Prodeamus jam tandem, ne amittamus è manibus deambulandi tempus. *Bel.* Duc nos, Christe, per vias tibi gratas, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, Amen. O quàm formosa aurora! verè rosea, & (ut Poetæ vocant) aurea! quàm gaudeo me surrexisse! Exeamus urbem: nam ego hâc totâ hebdomade pedem portâ non extuli. Sed quò ibimus primùm? inde, quâ? *Bel.* Ad arcem, an ad mœnia Carthusiana? *Mal.* An potiùs ad prata divi Jacobi? *Bel.* Minimè illuc de manè; ad serum potiùs. *Mal.* Ad Carthusianos igitur, per Franciscanos & Xistum, inde per portam Bruxellensem; tum redibimus per Carthusianos ad rem divinam. Ecce tibi Joannium. Sis salvus Joanni. *Jo.* Et vos plurimùm. Quid ist huc est insolitum? tam bene manè surrexistis? *B.* Ego verò arctissimo somno eram consopitus. Sed Malvenda hic clamando & tundendo avellit me è lectulo. *Jo.* Rectè fecit: nam totum te reficiet ac recreabit hæc deambulatio. Eamus ad pomœrium. O admirabilem & adorandum artificem tantæ pulcritudinis! Non immeritò vocatur hoc opus mundus, quasi ornatus & elegans. *Mal.* Ne contentè deambulemus, sed lentè ac molliter. Con-

ficiamus,

ficiamus quæso, in hac mœniali ambulatione duo aut tria spatia, ut otiosiùs & liberiùs tam decoram speciem contemplemur. *Fo.* Attende: nullus est sensus, qui non egregiâ aliquâ voluptate perfundatur. Oculi primùm: Quæ varietas colorum! Qui vestitus terræ & arborum! Qui tapetes! Quæ picturæ comparari huic possunt? Hæc sunt naturalia & vera, illa altera ficta & falsa. Non injuriâ vates ille Hispanus, Majum appellavit pictorem mundi. Jam aures: Qui concentus avium, & potissimùm lusciniæ! Ausculta eam è salice, à qua (ut Plinius inquit) perfectæ Musicæ scientiæ modulatus editur sonus. Animadverte accuratè, & adnotabis varietates omnium sonorum. Nunc non interquiescit, sed continuo spiritu trahitur in longum æquabiliter, sine mutatione; nunc inflectitur; jam minutiùs, & concisiùs canit; nunc intorquet, & quasi crispat vocem; nunc extendit; jam revocat: aliàs longos concinit versus; aliàs breves; interdum brevissimos. Quinetiam quasi Musicæ ludos & scholas habent. Meditantur aliæ juniores, versúsque, quos imitentur, accipiunt. Audit discipula intentione magnâ, (utinam nos præceptores nostros pari!) & reddit, vicibúsq; reticet. Intelligitur emendata correctio, & in docente quædam reprehensio. Sed illas docit natura recta, nos voluntas prava. Adde his: Qui odor spirans undique,

n

sive

ſive ex pratis, ſive ex ſegetibus, ſive ex arboribus, etiam ex ipſis agris ceſſantibus & ſqualidis! Sapor: quicquid ori admoveas, vel ex ipſo aere, qualis primi & tenerrimi mellis. *Mal.* Hoc puto eſſe quod à nonnullis audivi, apes conſuêſſe mel ſuum colligere menſe Majo ex cœleſti rore. *Fo.* Ea fuit multorum opinio. Si aliquid vis dari tactui, quid mollius aut ſalubrius hâc aurâ ubique ſpirante, quæ ſalutari ſpiritu per venas & univerſum corpus ſeſe inſinuat? Venit mihi in mentem nunc aliquot verſuum Virgilii de vere; quos utique cantillabo, ſi me poteſtis ferre voce meâ non olorinâ, ſed anſerinâ: tametſi hanc malo, ſi non aliàs cycnus canit dulce, niſi fato ſuo proximus. *Bel.* Ego quidem, ut pro me reſpondeam, vehementer eos verſus aveo audire, qualicunque voce, modò etiam exponas eos nobis. *Mal.* Nec ego diſſentio. *Fo.* Sunt deſumti ex intima Philoſophia, ut alia vatis illius permulta. *Mal.* Quæramus ab Orbilio literatore, quem habemus obvium. *Fo.* Imò eſt homo admodum obvius: ſalutemus modò, & ſinamus abire hominem rabioſum, & plagoſum, ingentis ſupercilii, imbutum magis literis quàm eruditum, tametſi perſuaſit ſibi ſeriò ſe eſſe literatorum alpha. Cæterùm diximus de corpore: Quid porrò? Animum & mentem quantopere exhilarat, & excitat hujuſmodi aurora? Nullum eſt tempus ad diſcendum

æqu

æquè idoneum, nullum ad percipiendum, continendúmque quæ audias, quæque legas, nec aliud ad meditandum, & excogitandum, quócunque applicâris animum. Non immeritò quidam dixit: *Aurora gratissima Musis. Bel.* At ego jam exstimulor appetentiâ: redeamus domum jentatum. *Mal.* Quid tandem? *Bellinus.* Panem & butyrum: vel decerpemus folia aliquot bugloſſæ, & salviæ, quæ addamus butyro. *Malv.* Bibemus vinum? *Bel.* Minimè verò, sed cerevisiam; & quidem tenuissimam ex flavi istâ Lovaniensi; vel aquam puram & limpidam, hausſtam è fonte Latino, aut Græco. *Mal.* Quem fontem Latinum vocas? Quem Græcum? *Bellin.* Illum, qui juxta portam est, Græcum solet nominare Vives; ulteriorem illum, Latinum: causas ipsas reddet tibi, cùm illum convenies.

## Colloquium XXVIII.

## DILUCULUM.

*Nephalius, Philypnus.*

Hodie te conventum volebam, Philypne, sed negabaris esse domi. *Ph.* Non omnino mentiti sunt: tibi quidem non eram, sed mihi tum eram maximè. *Neph.* Quid istud ænigmatis est? *Ph.* Nôsti illud vetus proverbium; Non omnibus dormio. Nec te fugit ille Nasicæ jocus, cui cùm, Ennium fami-

familiarem invisere volenti, ancilla jussu heri negâsset esse domi; sensit Nasica, & discessit. Cæterùm ubi vicissim Ennius Nasicæ domum ingressus rogaret puerum num esset intus, Nasica de conclavi clamavit, Non, inquiens, sum domi. Cúmque Ennius agnitâ voce dixisset, impudens! non te loquentem agnosco? Imò tu, inquit Nasica, impudentior, qui mihi ipsi fidem non habeas, cùm ego nuper crediderim ancillæ tuæ. *Nephal.* Eras fortasse occupatior. *Ph.* Imò suaviter otiosus. *Neph.* Rursum ænigmate torques. *Ph.* Dicam igitur explanatè, nec aliud dicam ficum quàm ficum. *Neph.* Dic. *Ph.* Altùm dormiebam. *N.* Quid ais? Atqui jam præterierat octava, cùm sol hoc mense surgat ante quartam. *Ph.* Per me quidem soli libetum est vel mediâ nocte surgere, modò mihi liceat ad satietatem usque dormire. *Neph.* Verùm istuc utrùm casu accidit, an consuetudo est? *Ph.* Consuetudo prorsus. *Neph.* Atqui rei non bonæ consuetudo pessima est. *Ph.* Imò nullus est somnus suavior quàm post exortum solem. *Neph.* Quâ tandem horâ soles lectum relinquere? *P.* Inter quartam & nonam. *Nep.* Satis amplum spatium; vix tot horis comuntur Reginæ. Sed unde venisti in istam consuetudinem? *Ph.* Quia solemus convivia, lusus, & jocos in multam proferre noctem; id dispendii matutino somno pensamus. *Ne.* Vix unquam vidi hominem

minem te perditiùs prodigum. *Ph.* Mihi parſimonia videtur magis quàm profuſio. Interim nec candelas abſumo, nec veſtes detero. *Ne.* Præpoſtera ſanè parſimonia, ſervare vitrum, ut perdas gemmas. Aliter ſapuit ille Philoſophus, qui rogatus quid eſſet precioſiſſimum, reſpondit, tempus. Porrò, cùm conſtet diluculum eſſe totius diei partem optimam, tu quod in re precioſiſſima precioſiſſimum eſt gaudes perdere. *Ph.* An hoc perit, quod datur corpuſculo? *Ne.* Imò detrahitur corpuſculo, quod tum ſuaviſſimè afficitur, maximéque vegetatur, cùm tempeſtivo moderatóque ſomno reficitur, & matutinâ vigiliâ corroboratur. *Ph.* Sed dulce eſt dormire. *Ne.* Quid eſſe poteſt dulce nihil ſentienti? *Ph.* Hoc ipſum dulce eſt, nihil ſentire moleſtiæ. *Neph.* Atqui iſto nomine feliciores ſunt qui dormiunt in ſepulcris. Nam dormienti nonnunquam inſomnia moleſta ſunt. *Ph.* Ainnt eo ſomno maximè ſaginari corpus. *Neph.* Iſta glirium ſagina eſt, non hominum. Rectè ſaginantur animalia quæ parantur epulis: homini quorſum attinet accerſere obeſitatem, niſi ut graviore ſarcinâ onuſtus incedat? Dic mihi, ſi famulum haberes, utrùm obeſum malles an vegetum, & ad omnia munia habilem? *Ph.* Atqui non ſum famulus. *Neph.* Mihi ſat eſt, quòd miniſtrum officiis aptum malles quàm bene ſaginatum. *Ph.* Planè mallem.

lem. *Neph.* At Plato dixit, animum hominis hominem esse, corpus nihil aliud esse quàm domicilium, aut instrumentum. Tu certè fateberis, opinor, animum esse principalem hominis portionem, corpus animi ministrum. *Ph.* Esto, si vis. *Neph.* Cùm tibi nolles ministrum abdomine tardum, sed agilem malles & alacrem, cur animo paras ministrum ignavum & obesum? *Ph.* Vincor veris. *Ne.* Jam aliud dispendium accipe: ut animus longè præstat corpori; ita fateberis opes animi longè præcellere bona corporis. *Ph.* Probabile dicis. *Ne.* Sed inter animi bona, primas tenet sapientia. *Ph.* Fateor. *Ne.* Ad hanc parandam nulla dici pars utilior quàm diluculum; cùm sol novus exoriens vigorem & alacritatem adfert rebus omnibus, discutitque nebulas è ventriculo exhalari consuetas, quæ mentis domicilium solent obnubilare. *Ph.* Non repugno. *Ne.* Nunc mihi supputa, quantum eruditionis tibi parare possis quatuor illis horis, quas somno intempestivo perdis. *Ph.* Profectò multum. *Neph.* Expertus sum in studiis plus effici unâ horâ matutinâ quàm tribus pomeridianis; idque nullo corporis detrimento. *Ph.* Audivi. *Neph.* Deinde illud reputa; si singulorum dierum jacturam in summam conferas, quantus sit futurus cumulus. *Ph.* Ingens profectò. *Neph.* Qui gemmas & aurum temere profundit, prodi-

gus habetur, & tutorem accipit: hæc bona tantò pretiosiora qui perdit, nonne multò turpiùs prodigus est? *Ph.* Sic apparet, si rem rectâ ratione perpendamus. *Neph.* Jam illud expende quod scripsit Plato, nihil esse pulcrius, nihil amabilius sapientiâ; quæ si corporeis oculis cerni posset, incredibiles sui amores excitaret. *Ph.* Atqui illa cerni non potest. *Neph.* Fateor, corporeis oculis; verùm cernitur oculis animi, qui pars est hominis potior. Et ubi amor incredibilis, ibi summa voluptas adsit oportet. *Ph.* Verisimile narras. *Nep.* I nunc, & somnum mortis imaginem cum hac voluptate commuta, si videtur. *Ph.* Verùm interim pereunt nocturni lusus. *Neph.* Bene pereunt quæ pejora melioribus, inhonesta præclaris, vilissima pretiosissimis permutantur. Bene perdit plumbum, qui illud vertit in aurum. Noctem natura somno tribuit: sol exoriens cùm omne animantium genus, tum præsipuè hominem ad vitæ munia revocat. Qui dormiunt, inquit Paulus, nocte dormiunt; & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Proinde quid turpius, quàm cùm omnia animantia cum sole expergiscantur, quædam illum etiam nondum apparentem, sed adventantem cantu salutent; cùm elephantus solem orientem adoret; hominem diu post solis exortum stertere? Quoties aureus ille splendor illustrat cubiculum tuum, nonne videtur exprobrare

probrare dormienti, Stulte, quid optimam vitæ tuæ partem gaudes perdere? Non in hoc luceo, ut abditi dormiatis, sed ut rebus honestissimis invigiletis. Nemo lucernam accendit, ut dormiat, sed ut aliquid operis agat: & ad hanc lucernam omnium pulcerrimam, nihil aliud quàm stertis? *Ph.* Bellè declamas. *Neph.* Non bellè, sed verè. Agè, non dubito quin frequenter audiveris illud Hesiodeum; Sera in fundo parsimonia. *Ph.* Frequentissimè. Nam in dolii medio vinum est optimum. *Nephal.* Atqui in vita prima pars, nimirum adolescentia, est optima. *Ph.* Profectò sic est. *Neph.* At diluculum hoc est dici, quod adolescentia vitæ. Annon igitur stultè faciunt qui adolescentiam nugis, matutinas horas somno perdunt? *Ph.* Sic apparet. *Neph.* An est ulla possessio, quæ cum hominis vita sit conferenda? *Ph.* Ne universa quidem Persarum gaza. *Neph.* An non vehementer odisses hominem, qui tibi vitam posset ac vellet malis artibus ad annos aliquot decurtare? *Ph.* Illi mallem ipse vitam eripere. *Neph.* Verùm pejores ac nocentiores arbitror, qui sibi volentes reddunt vitam breviorem. *Ph.* Fateor, si qui tales reperiantur. *Neph.* Reperiantur? Imò id faciunt omnes tui similes. *Ph.* Bona verba. *Neph.* Optima. Sic tuo cum animo reputa; nonne videtur rectissimè dixisse Plinius, Vitam esse vigiliam, & hoc pluribus horis

hominem vivere, quò majorem temporis partem impenderit ſtudiis? Somnus enim mors quædam eſt. Unde ab inferis venire fingitur, & ab Homero mortis germanus dictus eſt. Itaque quos ſomnus occupat, nec inter vivos, nec inter mortuos cenſentur, ſed tamen potiùs inter mortuos. *Ph.* Ita videtur omnino. *Neph.* Nunc mihi rationem ſubducito, quantam vitæ portionem ſibi recenſent, qui ſingulis diebus tres aut quatuor horas perdunt ſomno. *Ph.* Video ſummam immenſam. *Neph.* Nonne pro Deo haberes Alchymiſtam, qui poſſet decem annos vitæ humanæ adjicere, & provectiorem ætatem ad adoleſcentiæ vigorem revocare? *Ph.* Quidni habeam? *Neph.* Sed hoc tam divinum beneficium ipſe tibi præſtare potes. *Ph.* Quî fic? *Neph.* Quia manè diei eſt adoleſcentia; uſque ad meridiem fervet juventus, mox virilis ætas; cui ſuccedit pro ſenecta veſpera; veſperam excipit occaſus, velut diei mors. Magnum autem vectigal parſimonia eſt, ſed nuſquam majus quàm hîc. Annon ingens lucrum ſibi adjunxit, qui magnam vitæ partem, eámque optimam perdere deſiit? *Ph.* Vera prædicas. *Neph.* Proinde videtur admodum impudens eorum queremonia, qui naturam accuſant, quòd hominis vitam tam anguſtis ſpatiis finierit, cùm ipſi ex eo quod datum eſt, ſibi ſponte tantum amputent. Satis longa eſt cuique

vita,

vita, si pareè dispensetur, Nec mediocris profectus est, si quis suo quæque tempore gerat. A prandio vix semihomines sumus, cùm corpus cibis onustum aggravat mentem, nec tutum est spiritus ab officina stomachi, concoctionis officium peragentis, ad superiora evocare: A cœna multò minùs. At matutinis horis homo totus est homo, dum habile est ad omne ministerium corpus, dum alacer viget animus, dum omnia mentis organa tranquilla sunt ac serena. *Ph.* Eleganter tu quidem concionaris. *Neph.* Apud Homerum audit Agamemnon, opinor, .

*Turpe duci totam somno consumere noctem.*

Quantò turpius est, tantam diei partem somno perdere? *Ph.* Verùm, sed Duci. Ego non sum dux exercitus. *Neph.* Si quid aliud tibi carius est, quàm ipse tibi, ne quid te moveat Homeri sententia. Faber ærarius ob vile lucellum surgit ante lucem: & nos amor sapientiæ non potest expergefacere, ut saltem solem, ad lucrum inæstimabile evocantem, audiamus? Medici non ferè dant pharmacum, nisi diluculo. Illi nôrunt horas aureas, ut subveniant corpori; nos eas non novimus, ut locupletemus ac sanemus animum? Quòd si hæc leve pondus habent apud te, audi quid apud Solomonem loquatur illa cœlestis sapientia: Qui manè, inquit, vigilaverint ad me, invenient me. Jam in mysticis Psalmis, quanta matutini tempo-

ris commendatio ! Manè Propheta extollit Domini misericordiam, manè exauditur vox ejus, manè illius deprecatio prævenit Dominum. Et apud Lucam Evangelistam, populus sanitatem ac doctrinam expetens à Domino, manè ad illum confluit. Quid suspiras, Philypne ? *Phil.* Vix lacrymas teneo, cùm subit quantam vitæ jacturam fecerim. *Neph.* Supervacaneum est ob ea discruciari, quæ non revocari, sed tamen posterioribus curis sarciri possunt. Huc igitur incumbe potiùs, quàm ut præteritorum inani deploratione futuri quoque temporis jacturam facias. *Ph.* Bene mones : sed me jam sui juris fecit diutina consuetudo. *Neph.* Phy ! Clavus clavo pellitur ; consuetudo consuetudine vincitur. *Ph.* At durum est ea relinquere, quibus diu assueveris. *Neph.* Initio quidem ; sed eam molestiam diversa consuetudo primùm lenit, mox vertit in summam voluptatem, ut te brevis molestiæ non oporteat pœnitere. *Ph.* Vereor ut succedat. *Neph.* Si septuagenarius esses, non retraherem te à consuetis ; nunc vix decimum septimum, opinor, annum egressus es. Quid autem est, quod ista ætas non possit vincere, si modò adsit promtus animus ? *Ph.* Equidem aggrediar, conabórque ut ex Philypno fiam Philologus.

Colloquium

## Colloquium XXIX.

## SCRIPTIONIS REQUISITA

*Adamus, Puer, Petrus, Magister.*

Heus puer! ubi est Magister? *Pu.* In illo conclavi. *Ad.* Quid agit? *Pu.* Docet quosdam. *Ad.* Significa illi, adstare hîc pro foribus, qui & ipsi ab eo doceri cupiant. *Ma.* Qui pueri sunt isti? quid petunt? *Pu.* Te cupiunt conventum. *Ma.* Admitte eos rectâ. *Ad. & Pet.* Optamus tibi salutem, & omnia prospera. *Ma.* Et ego vicissim vobis felicem ingressum. Quid est? Quid vultis? *Ad.* Doceri abs te artem eleganter scribendi, si modò vacas, & si vis. *Mag.* Profectò apparet vos esse pueros honestè educatos, qui & sic loquamini, & tam modesto sitis vultu. Eritis compotes voti vestri. Ingredimini. Veniitis huc armati? *Ad.* Minimè verò, optime magister: vapularemus à nostris Pædagogis, si hâc ætate arma ausi essemus attingere. *Mag.* Ego verò non loquor de armis ferreis, sed scriptoriis, quæ ad rem præsentem faciunt. Estisne instructi chartâ & calamario, & calamis? Antiquissimi homines solebant stylis scribere; quibus successerunt calami. Agareni arundinibus scribunt à dextra ad sinistram, sicut omnes penè cæteræ ad Orientem nationes. Græci contrà, à sinistra ad dextram: atque sic Latini, Germani, cæteræque omnes in Europa nationes.

Scribimus pennis anserinis, aliqui gallinaceis. Vestræ istæ sunt egregiè habiles; nam sunt caule amplo, & nitido, & firmo. Detrahite primùm plumulas scalpello, & detruncate aliquid è cauda; tum eradite, si quam habent scabritiem; nam levigatæ fiunt aptiores. *Ad.* Nunquam ego gero, nisi deplumatas & nitidas: sed præceptor meus docuit me eas lenes facere salivâ, & affricatione ad adversam tunicam, vel caligas. *Magister.* Præsens consilium. *Petrus.* Doce nos aptare pennas. *Magister.* Primùm omnium rescindetis utrinque caput, ut fiat bifurcata: tum in superiore parte incisuram facite scalpello sensim ducto, quæ crena vocatur: hinc æquate duos illos pedunculos, seu mavultis nominare cruscula, ita tamen ut altius sit dextrum, in quod penna scribendo incumbit: id tamen discrimen vix perceptibile sit oportet. Pennam si firmiùs vis chartæ imprimere, tribus digitis teneto: sin celeriùs, duobus, pollice & indice, more Italico. Nam medius inhibet magis cursum, & moderatur, ne se immodicè effundat, quàm adjuvet. Annularis & auricularis incumbunt papyro. *Ad.* Profer atramentarium. *Pe.* Hem, elapsum est mihi venienti huc, & atramentum omne effusum. *Mag.* Puer, profer ampullam illam atramentariam: Ex ea effunde in hoc mortariolum plumbeum. *Ad.* Sine periculo?

*Ma.*

*Ma.* Ita hauries liquidiùs & commodiùs. Nam in gossipio, vel lino bombycino, quum pennam intingis, adhæret semper crenæ fibra aliqua, vel flocculus, in quo detrahendo fit mora scriptioni; aut si non detrahas, lituras veriùs effingas quàm literas. *Ad.* Ego ex sodalium consilio linteolum Milesium indo, aut bombycinum leve ac renue. *Mag.* Istud verò est satiús: sed multò præstat solum atramentum infundere, mortariolo quidem fixo; nam quod circumgestandum est, omnino opus habet peniculo. Cæterùm, habetis chartam? *Ad.* Hanc. *Mag.* Asperam admodum, & quæ pennam remoretur, ne inoffensè decurrat, quod est studiis noxium. Nam dum luctaris cum scabritie chartæ, elabuntur multa quæ scribenda cogitaveras. Hoc genus chartæ duræ, ac scabræ, librariis relinquite. Sed nec illam grandem Augustam, sive Imperialem, quotidiano usui paraveritis. Acquirite vobis chartam epistolarem, tenuem & firmam, quam passim invenietis venalem in singulos codices nummis vigenis quaternis, plùs, minús: dabitur vobis pro corollario philura una aut altera chartæ emporeticæ, quam bibulam dicimus. *Ad.* Quæ est horum nominum ratio? Nam sæpe dubitavi. *Mag.* Emporetica est nomen Græcum, ab involvendis mercibus dictum. Bibula dicitur, quòd atramentum absor-

beat. Atque ita non erit vobis opus scobe, aut sabulo, vel pulvere erasо de pariete. Quanquam omnium optimum est, cùm per e literæ exsiccantur: eo enim modo fiunt diuturniores. Proderit tamen emporetica, ne sudore aut sordibus maculetis papyrum, etiam inter scribendum subtensâ manu. Nunc capite exemplar. Id effingite, & redite huc à prandio, ut scripturam vestram emendem. *Ad.* Tentabimus. Heus Petre, mutua mihi dimidium chartæ folium, quod cras reddam. *Pet.* En tibi: sufficitne hoc fruſtum? *Ad.* Hui! non capit sex lineas, ex meis præsertim. *Pet.* Scribe in utraque facie, & duc lineas densiores: quid necesse habes tam magna interstitia relinquere? *Ad.* Egóne? vix intervallum est ullum: Nam literæ quæ longos apices habent, aut pedes, sese utrinque attingunt, ut *b* & *p*. *Pet.* Enimvero pennâ & atramento hoc scribi nullo modo potest. *Ad.* Quid ita? *Pet.* Non cernis ut penna chartam atramento respergit? *Ad.* Atramentum meum adeò est crassum, ut limum esse credas: aspice amabò, ut hæret summa in crena, nec defluit. *Pet.* Quin igitur utrique incommodo medemur? *Ad.* Quomodo? *Pet.* Tu de cuspidibus pennæ rescinde scalpello, quoad atramentum commodè colligat in literas: ego instillabo guttas aquæ aliquot, quò atramentum fiat liquidius. *Ad.* Commodiùs

modiùs hoc præstaret acetum; quod vi suâ statim distrahat densum atramentum. *Pet.* Verum; sed periculum est, ne acrimoniâ suâ chartam penetret. *Ad.* Nihil periculi: hæc charta firmiter continet atramentum ne diffluat. *Pet.* Extremæ oræ hujus chartæ inæquales sunt & asperæ, non admittunt scripturam. *Ad.* Demarginato chartam aliquantùm forfice; aut citra eam asperitatem subsiste. *Pe.* Redeamus jam tandem ad præceptorem. Effinximus exemplar tuum quinquies aut sexies in eadem charta: nunc referimus ad te quod scripsimus, ut emendes. *Ma.* Rectè facitis: ostendite. Posthac memineritis majorem intercapedinem relinquere, ut mihi sit spacium corrigendi. Hæ literæ sunt admodum inæquales, quod est in scribendo fœdum. Advertite, quantò sit majus *n* quàm *m*. Literarum corpora omnia oportet esse æqualia. *Ad.* Quid quæso vocas corpora? *Mag.* Medium in literis, præter apiculos & pedunculos, si quos habent. Jam, quòd literas has transformare tentâris in alias, erasis particulis, magis deturpâsti scripturam: Satiùs fuisset, tenuem lituram inducere. Hoc inprimis moneo, ut quantùm poteritis, erecto capite scribatis. Nam inflexo atque incumbente, defluunt humores ad frontem & oculos, unde morbi nascuntur multi, & videndi imbecillitas. Accipite nunc alterum exem-

plar,

plar, & me scribentem accuratè observate, ut ductui literarum assuescatis. Hoc cras exprimetis, si Deus voluerit. *Ad.* & *Pet.* Interea optamus te bellissimè valere.

## Colloquium XXX.

## EQUESTRIA.

*Rabinus, Syrus.*

Profer ocreas: nam equitandum est. *S.* En adsunt. *R.* Probè equidem abs te curatæ! Totæ albent situ. Opinor nec extersas, nec unctas hoc anno, adeò rigent præ siccitate. Exterge subuvido panno, mox unge ad ignem diligenter, ac macera, donec mollescant. *S.* Curabitur. *R.* Ubi calcaria? *S.* Adsunt. *R.* Verum, sed obducta rubigine. Ubi frænum & ephippia? *S.* Sunt in promtu. *R.* Vide ne quid desit, aut ne quid ruptum, aut mox rumpendum; ne quid nobis sit in mora, cùm erimus in cursu. Propera ad sellarium, & hoc lorum cura farciendum. Revisus inspice soleas, sive calceos equorum, num qui clavi desint, aut vacillent. Quàm macilenti sunt equi, quámq; strigosi! Quoties absterges aut pectis illos in anno? *S.* Imò quotidie. *R.* Nimirum res ipsa loquitur. Jejunant, opinor, nonnunquam totum triduum. *S.* Minimé. *R.* Negas tu quidem; sed aliud dicturi sint equi, si loqui liceat. Quanquam satis loquuntur ipsâ macie.

*S.* Curo

S. Curo seduló. R. Cur igitur tu habitior equis? S. Quia non pascor fœno. R. Hoc igitur restat. Adorna manticam celeriter. S. Fiet.

## Colloquium XXXI.

## TALIO.

*Aulus, Phædrus.*

Deum immortalem! quàm severo vultu incedit noster Phædrus, & subinde in cœlum suspicit! Adoriar. Quid accidit novæ rei, Phædre? *Phæd.* Quamobrem istuc interrogas, Aule? *Aul.* Quoniam è Phædro mihi videris factus Cato, tanta est in vultu severitas. *Phæd.* Non mirum, amice, modò confessus sum peccata mea. *Aul.* Phy, jam desino mirari: sed dic age bonâ fide, confessus es omnia? *Phæd.* Omnia, quæ quidem in mentem veniebant, unico duntaxat excepto. *Au.* Cur unicum hoc reticuisti? *Ph.* Quia nondum potuit mihi displicere. *Au.* Oportet esse peccatum suave. *Ph.* An peccatum sit nescio: sed tamen, si vacat, audies. *Au.* Audiam equidem lubens. *Ph.* Scis quanta sit impostura apud nostros in his qui vendunt, aut locant equos? *Au.* Plus scio quàm vellem, non semel ab illis delusus. *Ph.* Nuper incidit mihi iter, cùm satis prolixum, tum etiam accelerandum. Adeo quendam ex illis, quem dixisses ejus generis minimè malum, & intercedebat mihi cum homine

homine etiam nonnihil amicitiæ. Narro, mihi rem esse seriam: opus esse præstrenuo equo: si unquam præbuisset se mihi bonum virum, nunc præstaret. Ille pollicetur sese sic mecum acturum, ut ageret cum fratre charissimo. *Au.* Fortassis & fratri impositurus. *Phæd.* Inducit in stabulum: jubet ut eligam ex omnibus equis quemcunque vellem. Tandem unus plùs cæteris arridebat; ille probat judicium meum, dejerans eum equum frequenter à multis expetitum esse: se eum maluisse servare amico singulari, quàm ignotis addicere. Conventum est de pretio: numeratur pecunia præsens: conscendo. Mirâ alacritate gestiebat equus in egressu: dixisses feroculum esse, nam erat obesulus & pulchellus. Ubi jam equitâssem sesquihoram, sensi planè lassum, nec calcaribus quidem impelli posse. Audieram tales ab illis ad imposturam ali, quos è specie judicares insignes, cæterùm laboris impatientissimos. Ego continuò mecum, Captus sum. Age, par pari referam, ubi rediero domum. *Aulus.* Quid hîc consilii captabas, eques absque equo? *Phæd.* Id quod res dabat. Deflexi in proximum vicum: illic clàm apud quendam mihi notum depositi equum, & conduxi alterum: Profectus sum quò destinâram: reversus sum: reddo conductitium equum: reperio meum sophistam, ut erat, obesum & pulcrè requietum: eo vectus

redeo

redeo ad impostorem; rogo ut in stabulo suo alat dies aliquot, donec repetiero. Percontatur quàm commodè me gesserit. Ego verò dejero per omnia sacra, me nunquam in vita conscendisse tergum equi felicioris: volâsse potiùs quàm ambulâsse; nec tam longo itinere unquam sensisse lassitudinem, nec pilo factum ob laborem mactiorem. Hæc cùm illi persuasissem esse vera, tacitus secum cogitabat, equum illum alium esse quàm hactenus suspicatus esset. Itaque priusquam abirem, rogabat num mihi venalis esset equus? Primò negabam: quòd si inciderit iter denuo, non facilè foret nanciscì similem. Attamen nihil esse mihi tam charum, quod non esset venale pretio largo, etiam si quis meipsum, inquam, cuperet emtum. *Aul.* Næ tu pulcrè Cretensem agebas cum Cretensi! *Phæ.* Quid multis? Non dimittit me nisi pronunciatâ equi indicaturâ. Indicavi non paulò pluris quàm emeram. Digressus ab homine, mox suborno, qui mihi partem agat hujus fabulæ, pulcrè instructum atque edoctum. Is ingressus domum inclamat locatorem: ait sibi opus esse insigni equo, & laboris egregiè patienti. Alter ostendit multos, & pessimum quemque maximè prædicat; solùm illum, quem mihi vendiderat, quoniam existimabat verè talem qualem prædicaveram, non laudat. At alter illico

rogat,

rogat, num & ille venalis esset: nam descripseram illi formam equi, & locum indicâram. Locator primùm obticescere, atque alios ambitiosè prædicare. Cùm iste, cæteris utcunque probatis, semper ageret de uno illo, tandem locator apud se; Planè fefellit me judicium de illo equo, siquidem hic peregrinus agnovit statim hunc inter omnes. Cùm instaret ille, tandem hic, Venalis est, inquit, sed pretio fortassis deterreberis. Non est, inquit ille, magnum pretium, si rei dignitas respondeat: Indica. Indicavit aliquantò pluris quàm indicâram ipsi, captans & hoc lucri. Tandem convenit de pretio: datur arrha satis magna, nempe regalis aureus, ne qua suspicio incideret simulatæ emtionis. Emtor jubet equo dari pabulum: se mox, ait, rediturum, & abducturum: dat etiam stabulario drachmam. Ego simulatq; cognovi pactionem esse firmam, sic ut rescindi non posset, rursus ocreis & calcaribus armatus redeo ad locatorem, anhelus clamo. Adest ille, rogat quid velim. Illico, inquam, adornetur equus meus; nam è vestigio proficiscendum est ob rem maximè seriam. Atqui modò, inquit, mandabas ut aliquot dies alerem equum tuum. Verum inquam, sed præter exspectationem objectum est negotium, idque regium, quod nullam patitur dilationem. Hic ille: Eliges ex omnibus quem voles, tuum habere non potes. Rogo quam-

quamobrem? Quoniam venditus est, inquit. Ibi ego, simulatâ magnâ perturbatione, prohibeat, inquam, Deus quod dicis. Hoc objecto itinere non venderem eum equum, etiamsi quis numeret quadruplum. Incipio rixam, clamo me perditum. Tandem incaluit & ille. Quid opus, inquit, his jurgiis? Indicâsti equum, ego vendidi; si numero pretium, nihil habes quod mecum agas: sunt in hac urbe leges; ad exhibendum equum me non potes compellere. Cùm diu clamâssem, aut equum exhiberet, aut emtorem; tandem iratus numerat pretium. Emeram quindecim aureis, æstimâram viginti sex. Ille æstimârat triginta duobus. Cogitabat apud se, præstat hoc lucri facere, quàm equum reddere. Abeo dolenti simjlis, ac vix placatus etiam datâ pecuniâ. Ille rogat, ut boni consulam, se aliis in rebus pensaturum hoc incommodi. Sic impositum est impostori. Habet equum nullius pretii. Exspectat ut, qui arrham dedit, veniat numeratum pecuniam. At nemo venit, nec unquam venturus est. *Au.* Interim nunquam tecum expostulavit? *Phæd.* Quâ fronte aut quo jure id faceret? Convenit quidem semel atq; iterum, conquestus est de fide emtoris. Verùm ego ultro expostulavi cum homine, dicens, illum eo malo dignum, qui præproperâ venditione tali equo me spoliârit. Hoc est crimen tam bene collocatum,

catum, meâ sententiâ, ut non possim inducere animum confiteri. *Au.* Ego mihi statuam poscerem, si quid tale designâssem: tantum abest, ut confessurus sim. *Ph.* An ex animo loquaris, nescio: mihi tamen addis animum, quò magis libeat talibus facere sucum.

## Colloquium XXXII.

## ITER.

*Philippus, Misippus, Misospudus, Planetes, Puer, Rusticus.*

Vultisne proficiscamur animi gratiâ Bononiam, quæ est ad Sequanam? *Misip.* & *Miso.* Nihil malumus, die præsertim sereno, & à ventis silenti; tum etiam in nostro pædagogio feriato. *Phil.* Cur non est nobis operarius? *Misosp.* Quia Pandulphus madefacturus est hodie ingenti prandio magistros omnes, in honorem laureæ suæ magistralis. *Plan.* Vah! quantum potabitur! *Misosp.* Multò plus sitietur. *Misip.* Ego habeo asturconem. *Philip.* Et ego equum meritorium, conductum de lusco impostore. *Misosp.* Ego & Planetes vehemur rhedâ: reliqui, si videtur, vel pedestres sequentur nos, vel vi brachiorum agent cymbam contra cursum amnis. *Pl.* Imò equis trahetur. *Mis.* Ut erit cordi; nam nobis pedestre iter magis placet. *Ph.* Eja puer, fræna equum meum, & insterne.

sterne. Quid (malum!) manno indis lupatum? Orna potiùs frænulo illo levi cum bullis. *Pu.* Hui! nec oream habet, nec aureas. *Phil.* Quid hoc rei? Si scirem quis fregisset, ego illi frangerem — *Miso.* Quid tu nunc dices concitatus? *Ph.* Panem in cœna; penè dixeram brachium & crura. Accipe, unde poteris, commodatò. *Pu.* Scilicet in mediis pædagogiis quæris tu vel equos, vel equorum ornamenta? *Ph.* Supple igitur quæ desunt ex hoc fune. *Pu.* Erit indecorum. *Phil.* Abi, insane: quis videbit extra urbem? *Pu.* Antilena est dissuta. *Ph.* Sarcias ligulâ adstrictoriâ aliquâ. *Plan.* Non habet postilenam. *Ph.* Nec opus est. *Pl.* Magnum equitem, & exercitatum! Delabetur ephippium ad collum, & effundet te equus supra caput. *Ph.* Quid ad me? Lutosa est magis via, quàm lapidosa: inficiar cœno, non cruentabor. Sed si hæc omnia apparanda, non hinc discedemus ante vesperum: adduc equum qualicunque ornatu. *Pu.* Paratus est, conscende. Ah! quid agis? Pedem dextrum ponis priorem in stapeda? *Ph.* Utrum ergo? *Pu.* Sinistrum; & habenas sinistrâ manu rege: dextrâ virgulam, quæ erit pro calcaribus. *Ph.* Non indigeo; calcanei erunt mihi vice calcarium. *Pl.* Jubellium Taurcam videtis, aut, qui cum hoc est congressus, Asellum. *Ph.* Apage historias in procinctu. Ubi reliqui? *Pl.* Ite; ego comitabor vos pedester.

*Miso.*

*Miſop.* Equum moleſtiſſimum, ſuccuſſatorem? oſſa mihi omnia contuderit priuſquam perueniamus in oppidulum. *Ph.* Quid (malum!) eſt ſtratum iſtud tuum? Clitella eſt, ut puto. *Miſip.* Paulò minus. P. Quanti? quanti? *Miſip.* Nummis Turonenſibus quatuordecim. *Ph.* Equum ipſum cum ſuo victu & veſtitu tanti non emerim: nec videtur mihi equus vector, nec ephippiarius, ſed jumentum clitellarium, & jugale, aut dorſuale. Animadverte quæſo. Ut paſſim ceſpitat! Vel in chartam, aut latum culmum impingeret. *Miſip.* Quid tu de eo dicis? Pullus eſt adhuc. Sed garrias quæ voles. Vides tu hunc equum? Is qualis qualis eſt me vehet, aut ego illum. *Pl.* Ungulam habet tenerrimam miſer. *Philip.* Quid admonuit te tam accuratè unoculus, cùm tibi eum inſterneret. *Miſ.* Rogavit verbis amantibus, ne duo inſideremus equo, alter in ſtrato, alter ſuper clunes; &, ut in equili diligenter ei ſubſterneremus. *Pl.* Nimirum eget miſellus, qui latera habet nudata carne. *Ph.* Quid agitis vos? Non aſcendiris in rhedam? *Plan.* Probè mones: Rhedarius petit nunc altero tanto plus quàm quanti eramus pacti. *Pu.* Cum rhedariis eſt vobis res, & cum naviculatoribus? Facilè conficietis omnia, & ex animi ſententia. Genus hominum eſt mite, manſuetum, come, urbanum, pium. *Ph.* Scilicet! Rhedarii ſunt fæx terræ, naviculatores fæx maris: date

date illi dimidium ejus quod plus poſcit. *Pu.* Quotam eſſe jam horam cenſetis? *Ph.* Ex ſole conjicio eſſe ultra decimam. *Pu.* Appetit jam meridies. *Ph.* Itáne! Heus Miſippe! Eamus: ſequatur qui poterit. Invenient nos ad galerum purpureum: ea eſt taberna diverſoria, ſita contra regiam Pyramidem, non procul à domo Curionis. *Miſip.* Quà egrediemur? *Ph.* Per portam Marcellinam, ad dextram ſimplici viâ & directâ. *Miſo.* Imò teneamus hanc ſemitam: via jucunda, & placida. *Ph.* Minimè verò: nihil commodius ac tutius quàm via regia: nam tranſverſis in itineribus amittemus comites; præſertim quòd trames ille, niſi me fallit memoria, eſt valde ſinuoſus & ambagioſus. *Miſip.* Qui ſunt iſti haſtati? Videntur milites ex ultis mercenariis. *Ph.* Quid agendum? *Miſip.* Revertamur, ne nos ſpolient. *Phil.* Progrediamur, nam facilè evademus eos curſu equorum per campos. *Miſo.* Quid ſi geſtent tormenta manuaria? *Phil.* Nihil tale cerno, ſed ſolas ſariſſas? *Miſip.* Accede propiùs puer. *Pu.* Quid rei eſt? *Miſip.* Non tu vides illos Germanos? *Pu.* Quos? *Miſip.* Illos huc venientes adverſum nos. *Pu.* Non ſunt Germani, ſed Pariſienſes ruſtici duo cum ſuis baculis. *Miſ.* Profectò ita eſt: bene ſit tibi, animam mihi & vitam reddidiſti. Sed ubi Miſoſpudus & Planetes? *Pu.* Rhedarius iratus quòd non quantum poſtulaverit accipiat,

piat, duxit eos viâ salebrosâ; equi, dum magnâ eniuntur vi rotas in alto cœno hærentes extrahere, temonem, & helcia confregerunt, tum canthi revulsi sunt cum clavis, & ipse rotam sufflaminaverat imprudens excœcatus: nunc ea reficit stomachabundus, & convicians divis omnibus, vectores quoque diris devovens atrociſſimis. *Philip.* Quæ capiti illius sint. *Pu.* Puto eos rhedâ relictâ transituros in sarracum, quod sine onere habet iter Bononiam. Glaucus & Diomedes ingressi erant in scapham quandam, sed nautæ negant se hoc vento posse remis aut contis agere navigium: equos helciarios narrant omnes esse occupatos, nescio quâ materiâ vehendâ; ita nondum solverant oram. *Philip.* De naulo nihil novi? *Plan.* Nihil prorsus. *Philip.* Mirum est: sed conjicio quid futurum sit; non pervenient illi Bononiam ante serum diei. *Misip.* Quid tum? Sumemus diem crastinum totum ad reficiendum animum. Aspice ut fluviolus ille leniter labitur, aquæ planæ crystallinæ inter scrupos aureos. Quàm jucundum murmur! Audis luscinioiam & carduelem? Profectò territorium hoc Parisiense amœniſſimum est. *Ph.* Quod spectaculum potest esse huic par? Quàm placido agmine fluit Sequana! Ut fertur navicula illa plenis sinubus, & secundo vento! Mirificè his omnibus redintegrantur animi. O pratum miro artificio vestitum!

situm! *Misop.* Nempe ab admirabili artifice. *Philip.* Quàm suavem odorem eructat! *Misip.* Hàc, hàc, ad sinistram flectito, ut vites cœnum tenacissimum, in quo gradarius tuus statim unguem amitteret. Quàm contrarius hic campus suo vicino, obsitus situ, squalidus, carioſus, horrens petris, & spinis armatus! *Pu.* Non vides agrum esse ruderatum ex villæ ruinis? Et alioqui frumentarius est. Hyberno pulvere, verno luto, magna farra, Camille, metes. *Ph.* Quæso cantilla versus aliquot, ut soles. *Misop.* Placet.

*Felix ille animi, divisq; simillimus ipsis,*
*Quem non mendaci respondens gloria fuco*
*Solicitat; non fastosi mala gaudia luxûs:*
*Sed tacitos sinit ire dies, & paupere cultu*
*Exigit innocuæ tranquilla silentia vitæ.*

*Ph.* Versus facetissimos, & gravissimos! Cujus, quæso, sunt? *Misip.* Non agnôsti? *Ph.* Non. *Misip.* Angeli Politiani. *Ph.* Vetustos credididi: & habent gratiam antiquitatis. Suspicor nos deerrâsse. *Misip.* Heus bone vir! Quâ iter ad Bononiam? *Rust.* Aberrâstis: obvertite cantherios vestros ad bivium illud, & tenete viam quam radit flumen; ea vos non sinet falli: recta est, & simplex usque ad vetustam quercum; inde ad manum hanc vos præcipitate. *Misip.* Habemus gratiam. *Rust.* Ducat vos Deus. *Misip.* Mallem currere quàm sic ab equo iste concuti. *Phil.* Tantò cœnabis avidius. *Misip.* Imò non potero cœnare

nare delassatus, & confractus toto corpore: citiùs quæram de lecto, quàm de mensa. *Phil.* Sede conjunctis cruribus, non divaricatis: minùs senties laborem. *Misip.* Hoc est fœminarum: & facerem, nisi metuerem derisus & sannas prætereuntium. *Pu.* Siste parumper, Philippe, dum hic faber ferrarius calceârit asturconem tuum, cui excussa est solea dextri pedis. *Misip.* Quin potiùs moremur hîc, ut clauso diversorio sub dio dormiamus. *Phil.* Quid tum? In aperto mundo an non id præstabilius quàm in clauso? Gravius esset, quòd incœnes.

## Colloquium XXXIII.

## DIVERSORIA.

*Bertulphus, Guilelmus.*

Cur ità visum est pleriſque biduum aut triduum commorari Lugduni? Ego semel iter ingressus non conquiesco, donec pervenero quò constitui. *Guilel.* Imò ego miror quemquam illinc avelli posse. *Bertul.* Quamobrem tandem? *Guil.* Quia illic locus est, unde non poterant avelli socii Ulyssis; illic Sirenes. Nemo domi suæ tractatur meliùs quàm illic in pandocheo. *Bertulph.* Quid fit? *Guil.* Ad mensam semper adstabat aliqua mulier, quæ convivium exhilararet facetiis ac leporibus. Et est illic mirâ formarum felicitas. Primùm adibat materfamiliâs, quæ salutabat,

tabat, jubens nos hilares esse, & quod adponeretur boni consulere. Huic succedebat filia, mulier elegans, moribus ac linguâ adeò festivis, ut posset vel ipsum Catonem exhilarare. Nec confabulantur ut cum hospitibus ignotis, sed veluti cum olim notis ac familiaribus. *Ber.* Agnosco Gallicæ gentis humanitatem. *Gu.* Quoniam autem illæ non poterant adesse perpetuò, quia essent obeunda munia domestica, reliquíque convivæ consalutandi, continenter adstabat puellula quædam ad omnes jocos instructa; hæc sustinebat fabulam, donec rediret filia. Nam mater erat natu grandior. *Ber.* Sed qualis erat tandem apparatus? Nam fabulis non expletur venter. *Gu.* Profectò lautus, ut ego mirer, illos tam vili posse accipere hospites. Rursus peracto convivio, lepidis fabulis alunt hominem, ne quid obrepat tædii. Mihi videbar domi esse, non peregré. *Ber.* Quid in cubiculis? *Gu.* Illic nusquam non aderant aliquot puellæ ridentes, lusitantes: ultro rogabant, si quid haberemus vestium sordidarum; lavabant, ac lotas reddebant. Quid multis? Nihil illic vidimus præter puellas ac mulieres, nisi in stabulo; quanquam & huc frequenter irrumpebant puellæ. Abeuntes complectuntur, tantóque affectu dimittunt, ac si fratres essent omnes, aut propinquæ cognationis. *Bertholphus.* Fortassis

isti mores decent Gallos; mihi magis arrident Germaniæ mores, utpote masculi. Sed non ubique est eadem tractandi ratio. In pagis sæpe satis dura. Quid mihi contigerit aliquoties, narrabo; unde, qualis sit pagana tractatio, cognoscere poteris. Advenientem nemo salutat, ne videatur ambire hospitem. Id enim sordidum & abjectum existimant, & indignum ingeniâ severitate. Ubi diu inclamaveris, tandem aliquis per fenestellam æstuarii (nam in his degam fere usque ad solstitium æstivum) profert caput, non aliter quàm è testa prospicit testudo. Is rogandus est, an liceat illic diversari. Si non renuit, intelligis dari locum. Rogantibus ubi sit stabulum, monstrat manu commonstrat. Illic licet tibi tuum equum tractare tuo more. Nullus enim famulus manum admovet. Interdum famulus commonstrat stabulum, atque etiam locum cum equo minimè commodum. Namcommodiora servant venturis, præsertim nobilibus. Si quid causeris, statim audis; si non placet, quære aliud diversorium. Fœnum ægrè ac perparcè præbent; nec multò minoris venundat, quàm ipsam avenam. Ubi consultum est equo, totus commigras in hypocaustum, cum ocreis, farcinis, luto: idem est unum omnibus commune. G. In lautioribus diversoriis designant cubicula, ubi fessi extiam, extergant, calefaciant, aut quid-

cant

cant etiam, si libeat. *Ber.* Hîc nihil tale. In hypocaustô exuis ocreas, induis calceos, mutas, si voles, indusium, vestes pluviâ madidas suspendis juxta fornacem, ipse te admoves, ut fieceris. Est & aqua parata, si libeat lavare manus, sed ita munda plerumque, ut tibi pôst alia quærenda sit aqua, quâ lotionem eam abluas. *Gu.* Laudo viros nullis deliciis effœminatos. *Ber.* Quòd si tu appuleris ad horam à meridie quartam, non cœnabis tamen ante nonam, nonnunquam & decimam. *Gu.* Quamobrem? *Ber.* Nihil apparant, nisi videant omnes; ut eâdem operâ ministretur omnibus. *Gu.* Quærunt compendium. *Ber.* Tenes. Itaque frequenter in idem hypocaustum conveniunt octoginta aut nonaginta, pedites, equites, negociatores, nautæ, aurigæ, agricolæ, pueri, fœminæ, sani, ægroti. *Gu.* Istuc verè cœnobium est. *Ber.* Alius ibi pectit caput, alius abstergit sudorem, alius repurgat ocreas, aut perones, alius eructat alium. Quid multis? Ibi linguarum ac personarum non minor est confusio, quàm olim in turri Babel. Quòd si quem conspexerint peregrinæ gentis, qui cultu dignitatis nonnihil præ se ferat, in hunc intenti sunt omnes defixis oculis, contemplantes, quasi novum aliquod animantis genus adductum sit ex Africa; adeò ut posteaquam accubuerint, reflexo in tergum vultu, consi-

nenter aſpiciant, nec dimoveant oculos, cibi immemores. *Gu.* Romæ, Lutetiæ, ac Venetiis nemo quidquam miratur. *Ber.* Nefas eſt interim tibi quidquam petere. Ubi jam multa eſt veſpera, nec ſperantur plures adventuri, prodit famulus ſenex barbâ canâ, tonſo capite, vultu torvo, ſordido veſtitu. *Gu.* Tales oportebat Cardinalibus Romanis eſſe à poculis. *Ber.* Is circumactis oculis tacitus dinumerat quot ſint in hypocauſto: quò plures adeſſe videt, hoc vehementiùs accenditur hypocauſtum, etiamſi alioqui ſol æſtu ſit moleſtus. Hoc apud illos præcipua pars eſt bonæ tractationis, ſi ſudore diffluant omnes. Si quis non aſſuetus vapori, aperiat rimam feneſtræ, ne præfocetur, protinus audit, Claude. Si reſpondeas, Non fero; audis, Quære igitur aliud diverſorium. *G.* Atqui mihi nihil videtur periculoſius, quàm tam multos haurire eundem vaporem, maximè reſoluto corpore, atque hîc capere cibum, & horas complures commorari. Jam enim omitto ructus alliatos, & halitus putres: multi ſunt, qui morbis occultis laborant, nec ullus morbus non habet ſuum contagium. Certè multi ſcabiem habent Hiſpanicam, ſive, ut quidam vocant, Gallicam, quum ſit omnium nationum communis. Ab his opinor non multò minùs eſſe periculi, quàm à leproſis.

Jam

Jam tu divina, quantum discriminis sit in pestilentia. *Ber.* Sunt viri fortes, ista rident ac negligunt. *Gu.* Sed interim multorum periculo fortes sunt. *Ber.* Quid facias? sic assueverunt: & constantis est animi non discedere ab instituto. *Gu.* Atqui ante annos viginti quinque nihil receptius erat apud Brabantos, quàm thermæ publicæ: eæ nunc frigent ubique; scabies enim nova docuit nos abstinere. *Ber.* Sed audi cætera. Pòst redit ille barbatus Ganymedes, ac linteis insternit mensas, quot putat esse satis illi numero. Sed O Deum immortalem, quàm non Milesiis! Cannabea diceres ex antennis detracta. Destinavit enim unicuique mensæ convivas, ut minimùm octo. Jam quibus est notus mos patrius, accumbunt, ubi cuique libitum fuerit. Nullum enim discrimen inter pauperem ac divitem, inter herum ac famulum. *Guil.* Hæc est illa vetus æqualitas, quam nunc è vita submovit tyrannis. *Ber.* Postquam accubuerunt omnes, rursum prodit torvus ille Ganymedes, ac demùm dinumerat sua sodalitia: mox reversus apponit singulis pinacium ligneum, & cochleare ex eodem argento factum, deinde cyathum vitreum; aliquantò pòst panem: eum sibi quisque per otium repurgat, dum coquuntur pultes. Ita nonnunquam sedetur ferme horæ spatio. *Guil.* Nullus hospitum interim efflagitat cibum?

*Berth.* Nullus, cui nota sit pagana consuetudo. Tandem apponitur vinum, Deus bone, quàm non fumosum! Non aliud oportebat bibere sophistas; tanta est subtilitas & acrimonia. Quòd si quis hospes, etiam oblatâ privatim pecuniâ roget, ut alibunde paretur aliud vini genus, primùm dissimulant, sed eo vultu, quasi interfecturi: si urgeas, respondent; Hîc diversati sunt tot Comites, & Marchiones, neque quisquam questus est de vino meo: si non placet, quære tibi aliud diversorium. Solos enim nobiles suæ gentis habent pro hominibus, & horum insignia nusquam non ostentant. Jam igitur habent offam, quam objiciant latranti stomacho; mox magnâ pompâ veniunt disci. Primus ferme habet ossis panis madefactas jure carnium, aut, si dies est pisculentus, jure leguminum. Deinde aliud jus post aliquid carnium recoctarum, aut salsamentorum recalefactorum. Rursus pultis aliquid; mox aliquid solidioris cibi; donec probè domito stomacho apponant carnes assas, aut pisces elixos, quos non possis omnino contemnere: sed hîc parci sunt, & subitò tollunt. Hoc pacto totum convivium temperant, quemadmodum solent actores fabularum, qui scenis admiscent choros; in istis alterpis admiscent ossa, ac pultes. Curant autem, ut extremus actus sit optimus. Qu. Ec

hoc

*Berth.* Nullus, cui nota ſit pagana conſuetudo. Tandem apponitur vinum, Deus bone, quàm non fumoſum! Non aliud oportebat bibere ſophiſtas; tanta eſt ſubtilitas & acrimonia. Quòd ſi quis hoſpes, etiam oblatâ privatim pecuniâ roget, ut alibunde paretur aliud vini genus, primùm diſſimulant, ſed eo vultu, quaſi interfecturi: ſi urgeas, reſpondent; Hîc diverſati ſunt tot Comites, & Marchiones, neque quiſquam queſtus eſt de vino meo: ſi non placet, quære tibi aliud diverſorium. Solos enim nobiles ſuæ gentis habent pro hominibus, & horum inſignia nuſquam non oſtentant. Jam igitur habens oſſam, quam objiciant latranti ſtomacho, mox magnâ pompâ veniunt diſci. Primus ferme habet offis panis madefactas jure carnium, aut, ſi dies eſt piſculentus, jure legumininum. Deinde aliud jus poſt aliquid carnium recoctarum, aut ſalſamentorum recalefactorum. Rurſus pultis aliquid; mox aliquid ſolidioris cibi; donec probè domito ſtomacho apponant carnes aſſas, aut piſces elixos, quos non poſſis omnino contemnere: ſed hîc parci ſunt, & ſubitò tollunt. Hos pacto totum convivium temperant, quemadmodum ſolent actores fabularum, qui ſcenis admiſcent choros; ita iſti alterpis admiſcent oſſas, ac pultes. Curant autem, ut extremus actus ſit optimus. Cu. Et

hoc

hoc est boni Poetæ. *Ber.* Porrò piaculum sit, si quis interim dicat, Tolle hunc discum, nemo vescitur. Desidendum est usque ad præscriptum spatium, quod illic clepsydris, ut opinor, metiuntur. Tandem prodit ille barbatus, aut pandocheus ipse, vestitu minimùm à famulis differens; rogat, ecquid animi nobis sit? Mox adfertur vinum aliud generosius. Amant autem eos qui bibunt largiùs, cùm nihilo plus solvat ille qui plurimum hauserit vini, quàm qui minimum. Quum nonnunquam sint qui duplo plus absumant in vino, quàm solvant pro convivio. Sed antequam finiam hoc convivium, dictu mirum quis sit ibi strepitus ac vocum tumultus, postquam omnes cœperunt incalescere potu. Quid multis? Surda omnia. Admiscent se frequenter utricularii, & ficti moriones: quo genere hominum, quum nullum sit magis detestandum, tamen vix credas quantopere delectentur pagani: illi cantu, garritu, clamore, saltatione, pulsu, faciunt ut hypocaustum videatur corruiturum, neque quisquam alterum audiat loquentem. At interea videntur sibi suaviter vivere: atque illic desidendum est volenti nolenti usque ad multam noctem. *Guil.* Nunc tandem absolve convivium. Nam me quoque tædet tam prolixi. *Ber.* Faciam. Tandem sublato caseo qui vix illis placet, nisi pu-

tris ac vermibus scatens, prodit ille barbatus, adferens secum pinacium escarium, in quo cretâ pinxit aliquot circulos & semicirculos : id deponit in mensa, tacitus interim ac tristis, Charontem quempiam diceres. Qui agnoscunt picturam, deponunt pecuniam ; deinde alius atque alius, donec expleatur pinacium. Deinde notatis qui depositerunt, supputat tacitus : si nihil desit, annuit capite. *Gu.* Quid si quid superfit ? *Ber.* Fortasse redderet : & faciunt hoc nonnunquam. *Gu.* Nemo reclamat iniquæ rationi ? *Ber.* Nemo qui sapit : Nam protinus audires ; Quid tu es hominis ? Nihilo plus solves quàm alii. *Gu.* Liberum hominum genus narras. *Ber.* Quòd si quis ex itinere lassus, cupiat mox à cœna petere lectum, jubetur exspectare donec cæteri quoque eant cubitum. *Guil.* Videor mihi videre civitatem Platonicam. *Ber.* Tum suus cuique nidus ostenditur, & verè nihil aliud quàm cubiculum : tantùm enim ibi lecti sunt, & præterea nihil quo utaris, aut quod fureris. *Gu.* Illic mundities est ? *Ber.* Eadem quæ in convivio : lintea fortè lota ante menses sex. *Gu.* Quid interim fit de equis ? *Ber.* Ad eandem disciplinam tractantur, ad quam homines. *Guil.* Sed éstne eadem tractatio quovis tempore ? *Ber.* Interdum civilior est, in celebrioribus præsertim diversoriis, interdum

interdum durior quàm narravi: verùm in genere talis est. *Gu.* Quid si ego tibi nunc narrem, quibus modis hospites tractentur in ea parte Italiæ quam Longobardiam vocant; rursus in Hispania; deinde in Anglia & Wallia? *Ber.* Quæso te, ut narres. Nam mihi nunquam contigit eas adire. *Gu.* In præsentia non est otium. Nam nauta jussit, adesse ad horam tertiam, nisi vellem relinqui; & habet sarcinulam: aliàs dabitur opportunitas ad satietatem usque garriendi.

## Colloquium XXXIV.

## OPULENTIA SORDIDA.

*Jacobus, Gilbertus.*

Unde nobis tam exsuccus, quasi cum cicadis interea rore sis pastus? Mihi nihil aliud quàm syphar hominis esse videris. *Gil.* Apud inferos umbræ malvâ & porro saturantur: at ego decem vixi menses, ubi ne id quidem contigit. *Jac.* Ubinam, te quæso? num abreptus in navem galeatam? *Gil.* Nequaquam, sed Synodii. *Iac.* In urbe tam opulenta bulimiâ periclitatus es? *Gil.* Maximé. *Iac.* Quid in causa? An deerat pecunia? *Gil.* Nec pecunia, nec amici. *Iac.* Quid igitur erat mali? *Gil.* Mihi res erat cum hospite Antronio. *Iac.* Cum illo opulento? *Gil.* Sed sordidissimo. *Iac.* Monstri simile narras. *Gil.* Minimé: sed sic fiunt divites, qui è summa

emergunt inopiæ. *Jac.* Quid ita libuit tot menses apud talem hospitem commorari? *Gil.* Erat quod allligaret, & sic tunc erat animus. *Jac.* Sed dic, obsecro, quo tandem vivit ille apparatu? *Gil.* Dicam, quandoquidem actorum laborum solet esse jucunda commemoratio. *Jac.* Mihi certè futura est. *Gil.* Illud divinitus accessit incommodi cùm illic agerem; totos tres menses spirabat Boreas, nisi quòd illic nescio quo pacto nunquam perseverat ultra diem octavum. *Jac.* Quomodo igitur spirabat totos tres menses? *Gil.* Sub eum diem velut ex constituto mutabat stationem; sed post horas octo migrabat in locum priorem. *Jac.* Ibi tenui corpusculo opus erat foco luculento. *Gil.* Sanè erat ignis, si supperisset lignorum copia. Verùm ne quid hîc faceret impendii noster Antronius, ex ruscetis insularibus evellebat arborum radices ab aliis neglectas, idque ferè noctu. Ex his nondum bene siccis struebatur ignis, non absq; fumo, sed sine flamma; non qui calefaceret, sed qui præstaret, ne verò dici posset ibi nullum esse ignem. Ubicus autem ignis durabat totum diem, adeò temperatum erat incendium. *Jac.* Illic hybernare durum erat. *Gil.* Imò multò durius æstivare. *Jac.* Qui sic? *Gil.* Quoniam ea domus tantum habeat pulicum ac cimicum, ut nec interdiu quietum esse, nec noctu somnum capere liceret. *Jac.*

Divitiæ

Divitias miseras! *Gil.* Præsertim in hoc pecoris genere. *Jac.* Oportet illic ignavas esse fœminas. *Gil.* Latitant, nec inter viros versantur: Ita fit ut illic & fœminæ nihil aliud sint quàm fœminæ, & viris desint ea ministeria, quæ solent ab eo sexu suppeditari. *Jac.* Sed Antronium interim non pigebat tractationis? *Gil.* Illi in hujusmodi sordibus educato præter lucrum nihil erat dulce. Ubivis potiùs habitabat quàm domi; nulla non in re negotiabatur. Scis autem urbem eam esse præ cæteris Mercurialem. Pictor ille nobilis deplorandum existimavit, si dies abiisset sine linea: Antronius longè magis deplorabat, si dies præteriisset absque lucro. Quod quando evenisset, domi quærebat Mercurium. *Jac.* Quid faciebat? *Gil.* Habebat in ædibus cisternam ex ejus civitatis more; illinc hauriebat aliquot aquæ situlas, & infundebat in vasa vinaria. Hîc erat certum lucrum. *Jac.* Fortasse vinum erat æquo vehementius. *Gil.* Imò plus erat quàm vappæ. Nunquam enim emebat vinum nisi corruptum, quò minoris emeret. Ex eo, ne quid periret, subindè fæces annorum decem miscebat; volvens ac revolvens omnia, quò mustum videretur: neque enim ille passus fuisset ullam fæcis micam perire. *Jacob.* At si qua fides medicis, talo vinum gignit vesicæ calculos. *Gil.* Non erant medici. Nam in ea

ea domo nullus erat annus tam felix, quin unus atque alter calculo periret: nec horrebat ille funestam domum. *Jac.* Non? *Gilbert.* Etiam à mortuis colligebat vectigal. Nec asspernabatur quamvis exiguum lucellum. *Jacob.* Dicis furtum. *Gil.* Lucrum vocant negociatores. *Jacob.* Quid interea bibebat Antronius? *Gilb.* Idem ferme nectar. *Jacob.* Non sensit malum? *Gilb.* Durus erat, qui vel fœnum esse posset, & talibus, ut dixi, deliciis fuerat à teneris educatus. Hoc lucro nihil existimabat certius. *Jac.* Quid ita? *Gil.* Si suppetes uxorem, filios, filiam, generum, operas, & famulas, alebat domi ferè corpora triginta tria. Jam quo vinum erat dilutius, hoc & parciùs bibebatur, & seriùs exhauriebatur. Hîc mihi subducito; in singulos dies additâ aquæ situlâ, quàm non pœnitendam summam conficiat in annum! *Jac.* O sordes! *Gilb.* Atqui non minus compendii redibat ex pane. *Jac.* Quo pacto? *Gil.* Emebat triticum vitiatum, quod alius noluisset emere. Hîc præsens statim lucrum, quia minoris emebat. Cæterùm vitio medicabatur arte. *Jac.* Quâ tandem? *Gilb.* Est argillæ genus frumento non dissimile, quo videmus & equos delectari, dum & parietes arrodunt, & ex lacunis, eâ argillâ turbidis, bibunt libentiùs. Ejus terræ tertiam partem admiscebat. *Jac.* Est istuc medicari?

*Gil.* Certè tritici vitium minùs ſentiebatur. An hoc quoque lucrum putas aſſpernandum? Adde jam aliud ſtratagema: Domi panem ſubigebat, nec id crebriùs etiam æſtate quàm bis in menſe. *Fac.* Iſthuc eſt lapides apponere, non panes. *Gilb.* Aut ſi quid lapide durius. Sed huic quoque malo erat paratum remedium. *Fac.* Quodnam? *Gilb.* Fragmenta panis immerſa cyathis vino macerabat. *Fac.* *Similes* habebant *labra lactucas.* Sed ferebant talem tractationem operæ? *Gil.* Primùm narrabo primatum ejus familiæ apparatum; quò faciliùs divines quomodo tractentur operæ. *Fac.* Audire cupio. *Gil.* De jentando nulla erat illic mentio. Prandium differebatur in horam à meridie primam. *Iac.* Quamobrem? *Gil.* Exſpectabatur Antronius paterfamiliâs. Cœnabatur interdum ad horam decimam. *Iac.* At tu ſolebas eſſe inediæ impatientior. *Gil.* Eóque ſubinde clamabam ad Antronii generum Orthrogonum, (agebamus enim in eodem conclavi,) Heus Orthrogone, non cœnatur hodie apud Synodos? Commodè reſpondit, Brevi adfuturum Antronium. Cùm nihil viderem apparari, & latraret ſtomachus, Heus, inquam, Orthrogone, erit hodie pereundum famâ? Excuſabat horam, aut aliud ſimile. Cùm non ferrem ſtomachi latratum, rurſus interpellabam occupatum: Quid futurum eſt, inquam? erítne moriendum

moriendum fame? Ubi jam Orthrogonus consumsisset omnem tergiversationem, abiit ad famulos, justitque adornari mensam. Tandem, cùm nec rediret Antronius, nec quidquam appararetur, Orthrogonus victus conviciis meis descendebat ad uxorem, & socrum, & liberos, clamitans, ut appararent cœnam. *Iacob.* Nunc saltem exspecto cœnam. *Gilb.* Ne propera. Prodibat tandem famulus claudus, ei præfectus negotio, non admodum dissimilis Vulcano; insternit mensam linteo. Ea prima cœnæ spes. Tandem post longam vociferationem adferuntur phialæ vitreæ, cum aqua sanè limpida. *Iac.* Altera cœnæ spes. *Gilbert.* Ne propera, inquam. Rursus post atroces clamores adfertur phiala, illius nectaris fæculenti plena. *Iacob.* O factum bene! *Gil.* Sed sine pane. Nihil adhuc periculi: nemo famelicus bibat lubens tale vinum. Clamatum est iterum usq; ad ravim. Tum demum apponitur panis ille quem vix usus dentibus frangeret. *Iac.* Certè jam vicus consultum est. *Gilb.* Sub multam noctem tandem venit Antronius; hoc ferè proœmio inauspicatissimo, ut diceret, sibi dolere stomachum. *Jac.* Quid hîc mali auspicii? *Gilb.* Quia tunc nihil erat quod ederetur: Quid enim exspectes, hospite malè affecto? *Iac.* Dolebat revera? *Gil.* Adeò ut solus devoraturus fuerit tres capos, si quis dedisset gratis.

gratis. *Iac.* Ex spectō convivium. *Gil.* Primùm ipsi apponebatur patina cum farina fabacea, quod obsonii genus illic vulgò venditur tenuibus. Ajebat se hoc uni remedio adversus omne morbi genus. *Iacob.* Quot eratis convivæ? *Gilb.* Interdum octo aut novem, inter quos erat Verpius ille doctus, quem arbitror tibi non ignotum, & filius familiâs natu major. *Iac.* Quid illi apponebatur? *Gil.* An non satis est frugi hominibus quod Melchisedec obtulit Abrahæ quinque regum victori? *Iac.* Nihil igitur obsonii? *Gil.* Erat nonnihil. *Iac.* Quodnam? *Gil.* Memini nos fuisse in mensa convivas numero septem; quum in patina non numerarem nisi septem folia lactucæ aceto innatantia, sed absque oleo. *Iacob.* Solus igitur ille devorabat suas fabas? *Gil.* Vix semiobolo emeras: nec tamen vetabar, si quis proximè assidens vellet gustare; sed incivile videbatur languido suum eripere cibum. *Iac.* Secabantur folia, quemadmodum de cumino meminit proverbium? *Gil.* Non, sed lactucis à primoribus absumtis, reliqui panem immergebant aceto. *Iac.* Quid autem post septem folia? *Gil.* Quid nisi casus convivium clausula? *Iac.* Hiccine erat apparatus perpetuus? *Gil.* Propemodum; nisi quòd interdum, si eo die Mercurium foisset expertus propitium, erat paulò profusior. *Iac.* Quid tum? *Gil.* Jubebat emi tres uvas recentes

uno

uno æreo nummulo. Ea res exhilarabat totam familiam. *Iac.* Quidni? *Gil.* Id eo duntaxat tempore, quo ſumma eſt uvarum ibi vilitas. *Iac.* Proinde extra autumnum nihil profundebat? *Gil.* Profundebat. Sunt illic naviculatores, qui concharum minutum genus hauriunt, potiſſimùm è latrinis: hi clamore certo ſignificant quid habeant venale. Ab his interdum jubebat emi dimidio nummuli, quem illic bagathinum appellant. Tum verò dixiſſes, in ea familia eſſe nuptias: nam igni erat opus, licet celerrimè percoquantur. Atque hæc quidem poſt caſeum, loco bellariorum. *Iac.* Bella mehercle bellaria! Sed nihil unquam apponebatur carnium, aut piſcium? *Gil.* Tandem victus meis clamoribus cœpit eſſe ſplendidior. Quoties autem videri volebat Lucullus, hi ferme erant miſſus. *Iac.* Iſthuc verò lubens audiero. *Gil.* Primo loco dabatur juſculum, quod illi neſcio quam ob cauſam appellant Miniſtram. *Iac.* Lautum opinor. *Gil.* His conditum aromatibus. Admovetur igni cacabus aquâ plenus: in eum conjiciuntur aliquot fragmenta caſei bubalini, qui jam in ſaxum induruit. Nam ad defringendum aliquid, bonâ ſecuri opus eſt. Cùm ea fragmenta tepore aquæ ſolvi cœperint, inficiunt eam ne poſſit mera dici aqua. Hoc juſculo præparant ſtomachum. *Iac.* Suibus dignum. *Gil.* Deinde apponitur paululum carnium de

ventre

ventre veteris vaccæ, ſed elixum ante dies quindecim. *Iacobus.* Fœtet igitur. *Gilbert.* Maximè: ſed adhibetur remedium. *Iacobus.* Quodnam? *Gilbertus.* Dicam, ſed vereor ne imitaturo. *Iac.* Scilicet! *Gil.* Miſcent ovum aquæ calefactæ: eo jure perfundunt carnem; ita magis falluntur oculi quàm nares: nam fœtor erumpit per omnia. Si dies requirit eſum piſcium, interdum apponuntur auratæ tres, nec hæ magnæ, cùm convivæ ſint ſeptem aut octo. *Iac.* Præterea nihil? *Gilbert.* Nihil niſi caſeus ille ſaxeus. *Iac.* Novum mihi narras Lucullum. Sed quî potuit tam exilis apparatus tot ſufficere convivis, præſertim nullo refectis jentaculo? *Gil.* Imò ne ſis inſciens, ex ejus convivii reliquiis alebantur ſocrus, nurus, filius natu minor, famula, & aliquot parvuli. *Iac.* Tu quidem admirationem meam auxiſti, non ademiſti. *Gil.* Iſthuc tibi vix poſſum deſcribere, niſi priùs ordinem convivii depinxero. *Iac.* Pinge igitur. *Gil.* Antronius obtinebat primum locum, nili quòd ego illi ſedebam dexter, velut extraordinarius: è regione Antronii Orthrogonus; Orthrogono adſidebat filius natu major. Si quis acceſſiſſet conviva, ei locus dabatur pro dignitate. Primùm, de jure minimum erat vel periculi vel diſcriminis, niſi quòd in procerum diſcis natabant fragmenta bubalini caſei. Cæterùm ex phialis vini aquæque ferme quatuor,

tuor, vallum quoddam fiebat, ut nemo posset attingere quod erat appositum, præter tres, ante quos stabat patina, nisi quis sustinuisset esse impudentissimus, & transilire septa. Nec tamen ea patina diu manebat, sed mox tollebatur, ut aliquid superesset familiæ. *Fac.* Quid igitur edebant reliqui? *Gil.* Panem illum argillaceum macerabant vino fæcis veterrimæ. *Fac.* Tale convivium oportuit esse perbreve. *Gil.* Frequenter horâ prolixius. *Fac.* Quî potuit. *Gil.* Sublatis, ut dixi, mox quæ non carebant periculo, ponebatur casens, unde nullum erat periculum ne quisquam ullo cultello esculento quidquam abraderet. Manebat illa præclara saxa, & suus cuique panis. Atque inter hæc bellaria tutò miscebantur fabulæ. Interim prandebat fœminarum senatus. *Facobus.* Quid interim operæ? *Gilber.* Nihil habebant nobiscum commune: suis horis sibi prandebant ac cœnabant. Sed hi cibo capiendo vix semihoram impendebant toto die. *Facobus.* Verùm apparatus cujusmodi? *Gil.* Istuc tuum est divinare. *Fac.* At nonnullis vix sufficit hora in jentaculum, tantundem in merendam, sesquihora in prandium, duæ horæ in cœnam: ac nisi affatim expleantur eleganti vino, bonis carnibus ac piscibus, deserunt patronum, & fugiunt in bellum. *Gilbert.* Suus cuique genti mos est. Itali minimum impendunt gulæ; pecuniam

malunt

malunt quàm voluptatem: & sobrii sunt natura quoque, non solùm instituto. *Jacobus.* Nunc profectò non miror te nobis redisse tam exilem, sed omnino vivum rediisse demiror, præsertim, cùm antea capis, perdicibus, turturibus, & phasianis adsuevisses. *Gil.* Planè perieram nisi repertum fuisset remedium. *Jac.* Malè res agitur, ubi tot remediis est opus. *Gil.* Effeceram, ut mihi jam inquiescenti in singula convivia darentur quatuor pari pulli elixi. *Jac.* Nunc incipiam vivere. *Gilb.* Non admodum. Emebatur pullus exiguus, ne multum impenderetur, cujusmodi sex non sufficerent uni boni stomachi Polono in jentaculum. Nec emto dabantur, ne quid esset impendii. Itaque macie enecti ac semivivi coquebatur ala aut pes: jecur dabatur Quirogoni filio infanti. Jus autem semel atque iterum exhibebant mulieres, subinde novâ infusâ aquâ. Itaque pedes ad me venitabat pumice siccior, & quovis pauli ligno insipidior. Jus nihil erat nisi mera aqua. *Jac.* Et tamen audio illic avium genus & copiosissimum esse, & elegans, & utile. *Gilb.* Est prorsus; sed illis carior est pecunia. *Jac.* Satis dedisti pœnarum, etiamsi Romanum Pontificem occidisses, aut si minxisses ad sepulcrum divi Petri. *G.* Sed audi reliquum fabulæ. Scis esse in quaq; hebdomada quinq; dies, quibus vesci illic solent carnibus; diem Solis, Lunæ, Martis,

tis, Mercurii, Jovis: reliqui duo, Veneris, & Saturni, piſculenti ſunt. *Iac.* Nimirum. *Gil.* Duos itaque pullos duntaxat emebant. Die Jovis fingebant ſe oblitas emere, ne vel totum pullum eo die apponerent, vel aliquid ſupereſſet. *Iac.* Næ, iſte Antronius ſuperat etiam Euclionem Plautinum. Sed piſcariis diebus quo remedio conſulebas vitæ? *Gil.* Amico cuidam dederam negotium, ut mihi meo ære in ſingulos dies emeret ova tria, duo in prandium, unum in cœnam. Sed hîc quoq; fœminæ pro recentibus carè emtis, ſupponebant ſemiputria; ut mecum præclarè crederem actum, ſi ex tribus unum eſſet quod edi poſſet. Tandem & utrem vini purioris meâ pecuniâ emeram: cæterùm mulieres effractâ ſerâ, intra paucos dies exſorbuerunt, non admodum irato Antronio. *Iac.* Itáne nullus erat illic quem tui miſereſceret? *Gilbert.* Miſereſceret? Imò videbar illis gluto quiſpiam & helluo, qui tantum ciborum unus devorarem. Itaque ſubinde me admonebat Orthrogonus, haberem ejus regionis rationem, meæque conſulerem incolumitati: & aliquot noſtrates commemorabat, quibus illic edacitas conciliâſſet aut mortem, aut morbum graviſſimum. Cùm is me videret deliciis quibuſdam, quas illic ex nucleis pineis, aut peponum, melonúmque venditant pharmacopolæ, fulcire corpuſculum, & aſſiduis laboribus, & inediâ, & jam etiam

etiam morbo fractum, ſubornat medicum mihi amicum & familiarem, ut perſuadeat victûs moderationem. Egit hoc medicus diligenter: móxque ſenſi ſubornatum, nec reſpondi tamen. Cùm idem accuratiùs mecum ageret, nec admonendi faceret finem; Dic, inquam, mi vir egregie, ſeriò iſthæc loqueris, an joco? Seriò, inquit. Quid igitur ſuades ut faciam? A cœnis, inquit, in totum abſtine, & vino adde, ut minimum, aquæ dimidium. Riſi præclarum conſilium. Si me cupis extinctum, huic corpuſculo & raro & exili, & ſpiritibus ſubtiliſſimis, vel ſemel à cœna abſtinere mors eſſet: id toties ipsâ re compertum habeo, ut non libeat iterum experiri. Quid autem futurum cenſes, ſi ſic pranſus à cœna temperem? Et tali vino jubes addi aquam? Quaſi non præſtaret puram aquam bibere, quàm fæculentam. Nec dubito, quin hæc te loqui juſſerit Orthrogonus. Subriſit medicus, ac mitigavit conſilium. Non hæc loquor, inquit, Gilberte doctiſſime, quòd in totum arceam te à cœnis: licebit guſtare ovum, & ſemel bibere; ſic enim ipſe vivo. In cœnam coquitur ovum: inde capio vitelli dimidium, reliquum do filio: mox hauſto ſemicyatho vini ſtudeo in multam noctem. *Iac.* Num iſthæc vera prædicabat medicus? *G.* Veriſſima. Nam ipſe fortè per viam ambulans, redibam à ſacro, & comes admonuerat, illic

habitare

habitare medicum. Libuit videre regnum illius. Erat autem dies dominicus. Pulsavi fores; aperiæ sunt: assedi; offendo medicum cum filio, & eodem famulo prandentem. Apparatus erat duo ova, præterea nihil. *Fac.* Oportuit esse exsangues homines. *Gil.* Imò ambo erant pulcrè habito corpore, colore vivido ac rubido, oculis lætis. *Faceb.* Vix credibile est. *Gil.* At ego compertissima narro. Nec ille solus ad istum vivit modum, sed complures alii, & imaginibus clari, & re lautâ. Polyphagia & polypotia, crede mihi, consuetudinis res est, non naturæ. Si quis paulatim adsuescat, tandem eo proficiet, ut idem faciat quod Milo, qui bovem eodem die totum absumsit. *Fac.* Deum immortalem! si tam parvo victu licet tueri valetudinem, quantum impendiorum perit Germanis, Anglis, Danis & Polonis? *Gil.* Plurimum haud dubiè, & quidem non sine gravi tum valetudinis, tum ingenii detrimento. *Faceb.* Sed quid obstabat, quò minùs tibi sufficeret ille victus? *Gilbertus.* Quia diversis adsueveram; & serum jam erat mutare consuetudinem: quanquam me non tam offendebat ciborum exiguitas, quàm corruptio. Duo ova poterant sufficere, si fuissent recèns nata: vini cyathus erat satis, nisi pro vino daretur sæx vapida: dimidium panis alsisset, nisi pro pane daretur argilla. *Fac.* Adeóne sordidum esse Antronium in tantis opibus?

*Gil.*

*Gil.* Arbitror censum illius non fuisse infra octoginta ducatorum millia. Nec ullus erat annus, quo non accederet lucrum mille ducatorum, ut dicam parcissimè. *Iac.* Sed juvenes illi, quibus hæc parantur, num eâdem utebantur parsimonia? *Gilb.* Utebantur, sed domi duntaxat; foris liguriebant, scortabantur, ludebant aleam: quúmque pater ingraviam honestissimorum convivarum gravaretur teruncium impendere, juvenes interdum unâ nocte sexaginta ducatos perdebant aleâ. *Iac.* Sic perire solent quæ sordibus corraduntur. Verùm è tantis periculis incolumis, quò nunc te confers? *Gil.* Ad vetustissimum Gallorum contubernium, facturus quod illic dispendii factum est.

## Colloquium XXXV.

## VALETUDO PROSPERA.

*Georgius, Levinus.*

Valesne? *L.* Contemplare vultum. *G.* Quin potiùs lotium jubes? An me putas medicum? Non rogo quid valeas; nam facies ipsa loquitur te belle valere: sed quomodo tibi placeas. *L.* Corpus quidem belle habet, sed animo malè est. *G.* At non valet, qui ista hâc parte laborat. *L.* Sic res habent meæ: Corpus valet, sed ægrotat crumena. *G.* Facilè isti morbo medebitur mater. Ut valuisti usque? *L.* Variè; ut sunt res mortalium.

talium. *G.* Satin' rectè vales? Salvâne res
Satin' salvæ res? Fuistine semper prosper
valetudine? *L.* Prosperrimâ, gratia De
Ego Dei beneficio perpetuò optimè valu
Semper prosperâ valetudine sum usus. Ha
ctenus bonâ valetudine fui; faustâ, incolu
mi, felici, prosperâ, secundâ, integrâ, ba
silicâ, athleticâ, pancraticâ valetudine. *G.*
Faxit Deus, ut isthuc sit perpetuum ac pro
prium. Lætus isthuc audio. Voluptatem
mihi nuncias. Est isthuc mihi auditu per
quam jucundum. Sermonem istum ex te au
dire supra modum gaudeo. Isthuc haud in
vitus audio. Oppidò lætor isthuc audire ex
te. Ut idem semper facias, opto. Ut ad istum
modum quàm diutissimè valeas, opto. Ti
bi gratulor, mihi gaudeo. Gratia Deo.
Gratiam habeo Deo. *L.* Equidem pulcrè
valeo, si tu vales. *G.* Nihil interim molestiæ
fuit? *L.* Nihil, nisi quòd vestrâ consuetu
dine frui non licuit. *G.* Quo pacto vales?
*L.* Rectè, pulcrè, bellè, perbellè, bellissimè,
perpulcrè, feliciter, commodè, minimè malè.
Valeo ut volo potiùs quàm ut mereor; basi
licè, pancraticè, athleticè. *G.* Est igitur ut
Deo agas gratias.

Collo-

## Colloquium XXXVI.

## VALETUDO ADVERSA.

*Eædem personæ.*

Recténe vales? *L.* Vellem quidem. Non admodum ex sententia. Equidem utcunq; valeo. Sic satis. Valeo ut possum, quando ut volo non licet. Ut soleo. Ita ut Deo visum est. Non optimè sanè. Sic, ut antehac pejùs nunquam. Valeo ut solitus sum. Valeo ut solent, quibus cum medicis res est. *G.* Ut vales? *L.* Secus quàm vellem. *G.* Quâ valetudine es? *L.* Haud sanè commodâ, perquam incommodâ, infelici, parùm prosperâ, parùm secundâ, malâ, adversâ, infaustâ, imbecilli, dubiâ, mediocri, vix mediocri, longè aliâ quàm vellem, tolerabili, qualem optem hostibus meis. *G.* Rem mihi sanè quàm acerbam narras. Prohibeat Deus. Avertat Deus. Bona verba. Hîc cupiam te vanum esse. Bono sis animo oportet. Forti, infractóq; sis animo. Multùm juvat animus in re mala bonus. Fulciendus est animus spe fortunæ secundioris. Quid morbi est? Quod mali genus est? Quis te morbus habet? Quo morbo teneris? Quid habes morbi? Quis te tenet morbus? *L.* Nescio, & hoc laboro periculosiùs. *G.* Verum. Nam ad sanitatem gradus est novisse morbum. Nullósne consuluisti medicos? *L.* Et quidem permultos. *G.* Quid respondent?

*L.* Id quod advocati Demiphoni apud Comicum; alius negat, alius ait, alius deliberandum cenſet. In hoc conſentiunt omnes, me miſerum eſſe. *G.* Quàm pridem habet te hoc mali? Diu eſt quòd teneris hoc morbo? Quantum temporis eſt quod te malum hoc corripuit? *L.* Dies plus minus viginti. Ferme menſis eſt. Jam tertius eſt menſis. Mihi quidem ſeculum videtur ex quo ægrotare cœpi. *G.* Admirandum cenſeo ne morbus fiat familiaris. *L.* Jam nimiùm aſſuevit. *G.* Num eſt hydrops? *L.* Negant. *G.* Num dyſenteria? *L.* Non arbitror. *G.* Num febris? *L.* Opinor febris eſſe ſpeciem, ſed novam; ut nunc novi ſubinde morbi exoriuntur, antehac incogniti. *G.* At plùs ſatìs erat veterum. *L.* Ita viſum eſt naturæ nimiùm novercæ. *G.* Imò noſtris moribus nimiùm corruptis, quibus Dei iram in nos provocamus: gulâ, intemperantiâ, libidine, aliiſque innumeris peccatis. Sed quoto die recurrit dolor? *L.* Quoto die quæris? Imò quotidie, ſæpius quàm Euripus. *G.* Papæ! malum abominandum! Unde contraxiſti morbum? Unde ſuſpicaris hoc eſſe collectum mali? *L.* Ex inedia. *G.* At non lolebas uſque adeò ſuperſtitioſus eſſe, ut jejunio te macerares. *L.* Non erat religio, ſed inopia. *G.* Quænam? *L.* Quia non dabatur cibus. E frigore natum arbitror. E putribus ovis morbum ortum ſuſpicor. E

vino

vino plùs satìs diluto. E crudis malis contracta est stomachi cruditas. *G.* Vide ne ex immodico, aut intempestivo studio conciliâris hoc mali, aut ex potatione largiore. Quin accersis medicum ? *L.* Timeo ne citiùs morbum augeat quàm adimat. Metuo ne pro remedio det venenum. *G.* Deligendus est igitur cui tutò fidas. *L.* Si moriendum est, malo semel mori, quàm tot pharmacis excarnificatus. *G.* Fac igitur ut ipse tibi sis medicus. Si diffidis homini, precor ut sit tibi medici vice Deus. Sunt qui tecti cucullâ Dominicali aut Franciscanâ revaluerunt. *L.* Idem eveniſſet, si cerdonis pallio tecti fuissent. *G.* Alii morbo correpti nuncupant votum alicui divo. *L.* At ego cum divis non paciscor. *G.* Proinde tu à Christo, cui fidis, pete sanitatis beneficium. *L.* Rectè mones: At ego, an beneficium mihi sit, nescio. *G.* An non beneficium est liberari à morbo ? *L.* Nonnunquam mori felicius est. Ab illo nihil peto, nisi ut quid scit optimum esse mihi largiatur. *G.* Sume quod alvum dejiciat. *L.* Jam suâ sponte cita est. *G.* Cienda est alvus. Movenda est alvus. *L.* Imo sistenda potiùs. Nam plùs satìs profluit.

## Colloquium XXXVII.

## FRUSTRATIO SPEI.

*Eadem perſonæ.*

Fuíſtne tibi hoc iter fauſtum & commodum? *L.* Sic ſatis; niſi quòd nihil uſquam tutum eſt à latronibus. *G.* Hic eſt belli ludus. *L.* Eſt, ſed ſceleratiſſimus. *G.* Pedes advenis, an eques? *L.* Partim pedeſtri itinere, partim vehiculo, partim equo, partim navigio. *G.* Quo in ſtatu ſunt res Gallicæ? *L.* Sanè turbulento. Magnæ bellorum minæ ſunt. Quid mali allaturi ſint hoſtibus, neſcio: certè Galli jam ipſi non dicendis malis affliguntur. *G.* Iſta publica Deo curanda relinquamus. Tuæ res quo tandem in ſtatu ſunt? *L.* Optimo, felici, mediocri, tolerabili. *G.* Quo pacto res ſe habent tuæ? Num ex voto? *L.* Imò ſupra votum, ſupra meritum, ſupra ſpem. *G.* Satin' ex ſententia? Satin' ſalva omnia? Satíſne proſpera omnia? *L.* Non ſanè omnia. *G.* Non cepiſti igitur, quod captabas? Non contigit præda, quam venabaris? *L.* Venabar equidem, ſed iratâ Deliâ. *G.* Nihil reliquum eſt ſpei? *L.* Spei permultum, ſed rei nihil. *G.* Epiſcopus nihil oſtendit ſpei? *L.* Tota plauſtra, totáſque ſpei naves; ſed præterea nihil. *G.* Nihil adhuc miſit? *L.* Promiſit quidem largiter, at ne teruncium quidem miſit. *G.* Ergo ſpe alendus eſt animus. *L.* Sed

hâc

hâc non ſaginatur venter. Qui ſpe alantur, pendent, non vivunt. *G.* Tamen hoc eras ad iter expeditior, quòd nihil eſſet oneris in marſupio. *L.* Fateor, atque etiam tutior. Nulla enim ſunt arma certiora adverſus latrones. Sed ego malim & onus & periculum. *G.* Nihílne tibi ademtum eſt in via? *L.* Mihine? Quæſo, quid eripias nudo? Aliis citiùs periculum erat à me. Licuit mihi vacuo viatori per totum iter canere & eſurire. Numquid vis? *G.* Quo nunc hinc abis? *L.* Rectà domum, ſalutaturus penates jam diu non viſos. *G.* Precor ut illic offendas omnia læta. *L.* Utinam ita velit Deus! Nihil interim exſtitit novi domi noſtræ? *G.* Nihil, niſi quòd reperies auctam familiam. *L.* Bene nuncias. Grata nuncias. At ego tibi pro hoc nuncio polliceor Evangelium. *G.* Quodnam? *L.* En accipe. *G.* Tibi ſerva tuum Evangelium. Mihi ſaxorum ſatis eſt domi. *L.* Ne ſperne munuſculum. Aetites eſt, qui gravidis admotus in nixu, maturat partum. *G.* Quid ais? Eſt mihi ſanè gratiſſimum. Diſpiciam, unde poſſim hoc donum penſare. *L.* Abunde penſatum puta, ſi boni conſulueris. *G.* Imò nihil accidere potuit magis in tempore. Nam uxor mea jampridem fert uterum. *L.* Illud igitur abs te ſtipulabor, ut ſi maſculum ediderit, me ſuſceptorem adſciſcas. *G.* Polliceor, ac tuum

indetur puero nomen. *L.* Quod utriſque bene vertat. *G.* Imò nobis omnibus.

## Colloquium XXXVIII.

## REDUX.

*Claudius, Balbus.*

Gratulor tibi reduci, Balbe. *B.* Et ego tibi ſuperſtiti, Claudi. *C.* Gratulor tibi in patriam reverſo. *B.* Imò gratulare magis è Gallia profugo. *C.* Quid ita? *B.* Quia illic bellis fervent omnia. *C.* Quid Muſis cum Marte? *B.* Atqui illic ne Muſis quidem parcitur. *C.* Tu igitur feliciter elapſus es. *B.* At non ſine periculo. *C.* Totus alius nobis redîſti. *B.* Quî ſic? *C.* Veſtis indicat te mutatum ex Germano in Gallum. *B.* Hanc metamorphoſin malim, quàm in gallinam. Sed, ut cuculla non facit Monachum, ita nec veſtis Gallum. *C.* Jámne calles Gallicé? *B.* Sic ſatís. *C.* Quo pacto didiciſti? *B.* A magiſtris haudquaquam mutis. *C.* Quibus? *B.* A mulierculis quovis turture loquacioribus. *C.* In tali ludo facilè diſcimus loqui. Sonáſne probè ſermonem Gallicum? *B.* Imò & Latinum ſono Gallicé. *C.* Nunquam igitur ſcribes bona carmina. Quid? éſtne Lutetia immunis à peſtilentia? *B.* Non eſt, ſed perpetua non eſt: aliquando remittit ſeſe, mox recrudeſcit; nonnunquam intermittitur, deinde recipit ſeſe. *C.* Non ſat erat malorum, ubi bellum eſt? *B.* Erat, niſi ſecus eſſet

esset visum Deo. *C.* Annonæ caritatem ibi hic esse oportet. *B.* Imò penuriam. Omnium rerum illic inopia est, præterquam sceleratorum militum. Bonorum virorum est illic mira vilitas. *C.* Non jam te remorabor diutiùs. Aliàs latiùs nugabimur, cùm erit utrique commodum. Nunc aliò me vocant negotiola quædam.

## Colloquium XXIX.

## EMTIO ET VENDITIO.

*Augustinus, Christianus.*

Quanti istum agrum in singulos annos locas? *C.* Vigenis libris Francicis. *A.* Hui, nimiò locas. *C.* Imò locavi olim multò pluris. *A.* At ego tanti non conducam. *C.* Si conduxeris minoris, peream. *A.* Imò jam vicinus tuus Chremes agrum obtulit, ac rogat. *C.* Quanti? *A.* Tantidem quantum tu petis, at multò meliorem. *C.* Mentiris. *A.* Facio, ut solent qui licentur. Tu ipse tanti posside. *C.* Quid liceris, quum nihil sis emturus? *A.* Quanticunque addixeris, solvam optimâ fide.

## SECUNDUM EXEMPLUM.

*Augustinus, Syra.*

Lucium istum, Syra, quanti vendis? *S.* Decem obolis. *A.* Nimio, turpissima. *S.* Imò minimo: nemo tibi vendet minoris. Emoriar, si non tanti mihi constat, aut certè

non multò minoris. *A.* Mentiris, improba, quoniam duplo vis vendere, aut triplo. *S.* Et centuplo, ſi queam: ſed fatuos non invenio. *A.* Quid ſi liciter teipſam? Quanti æſtimas te? *S.* Ut lubet. *A.* Quanti te liceris? Quanti indicas te? Dic, quanti taxas? Quanti teipſam inſcribis? *S.* Decem ſcutatis. *A.* Hui, tanti? *S.* Ebo, an tu minoris me æſtimas? Ego olim non ſemel pluris ſum conducta in famulitium annuum. *A.* Credo, at nunc non paulò minoris æſtimo te quàm piſcem. *S.* Abi in malam rem ganeo; tantidem te æſtimo, quanti tu me. *A.* Qui te teruncio emerit, nimio emerit. *S.* Aut pluris emar, aut non vendar. *A.* Si magno venire cupis, larvâ tibi opus eſt; nam rugæ iſtæ non ſinùt ut cariùs vendaris. *S.* Ei, qui tanti me nolit, non ſum venalis. *A.* Ego ne culmo quidem te emero. *S.* Conſtiti pluris.

## TERTIUM EXEMPLUM.

### *Auguſtinus, Chriſtianus.*

Auctioni hodiernæ interfui. *C.* Ain'tu? *A.* Licitatus ſum vectigalia. *C.* Quanti tandem? *A.* Decem millibus. *C.* Hui! tanti? *A.* Ne mireris; erant, qui multò plus licitarentur, pauci, qui minoris. *C.* Cui tandem addicta ſunt vectigalia? *A.* Chremeti uxoris tuæ affini. Sed divina, quanti ſunt addicta. *C.* Decem. *A.* Imò quindecim. *C.* Deus bone! Ego mihi hominem ipſum

ipſum cum tota familia dimidio addictum nolim. *A.* At ille vel duplo emeret.

## Colloquium XL.

## PRECIUM.

*Auguſtinus, Chriſtianus.*

Scis quanti te ſemper fecerim, mi Chriſtiane. Tuas minas floccifacio, & ne pili quidem æſtimo. *C.* Et ego tanti Auguſtinum meum facio, quanti alium neminem. Sed hîc minoris fies, quòd mentiri neſcias, cùm ego te hoc pluris habeam. Magni hîc fiunt, qui nigrum in candidum vertunt. Tanti apud omnes eris, quantum poſſidebis. Tanti haberis, quantum habebis. Non quanti habearis, ſed quanti ſis, intereſt. Imò tanti fies apud ſapientes, quanti virtutem facies. Aurum hâc tempeſtate magni penditur; Literæ nihili fiunt, pro nihilo ducuntur. *A.* Aurum minoris habeo, quàm credas. Si tanti ſapientia penderetur, quanti pecunia, nemo auro egeret. Pluris nunc fit aurum ſine ſapientia, quàm ſapientia ſine auro. Aurum ſine virtute, ego ne pili facio. *C.* Quanti hîc cœnatur? *A.* Quoſdam ſexcentis ſeſtertiis, id eſt, octodecim millibus aureorum & ampliùs, cœnâſſe legimus: at nonnulli unico aſſe cœnitant. *C.* Quidam magno docent, alii parvo. Quanti docet Fauſtus? *A.* Undeviginti

aureis. *C.* Nolim ego discere tanti. *A.* Plus interest quomodo docearis, quam quanti docearis. Non magno constat, quod solidè discitur. *C.* Studia mea multis vigiliis, multo sudore mihi constiterunt: nec minus pecuniæ, quàm curæ insumsi: impendi non parùm pecuniæ, temporis permultum, laboris plurimum, ingenii nonnihil. *A.* Nempe si legitimo ordine fuisses progressus, tam tempori quàm pecuniæ potuisses parcere.

## Colloquium XLI.

## SPECTRUM.

*Thomas, Anselmus.*

Quid est bonæ rei, quòd tecum rides tam suaviter, quasi thesaurum nactus sis? *A.* Non procul aberrat à scopo tua divinatio. *T.* An non imparties sodali quidquid ifthuc est boni? *A.* Imò jamdudum optabam mihi dari quempiam, in cujus sinum effunderem hoc meum gaudium. *T.* Age igitur, imparti. *A.* Audivi modò fabulam lepidissimam, quam jures esse Comicum figmentum, nisi mihi locus, personæ, totáq; res esset tam nota, quàm tu notus es mihi. *T.* Audire gestio. *A.* Nostine Polum Fauni generum? *T.* Maximè. *A.* Is est & autor & actor hujus fabulæ. *T.* Facilè crediderim. Nam ille vel absque persona possit quamvis agere fabulam. *A.* Sic est. Nosti, opinor, &

& prædium quod habet non ita procul à Londino. *T.* Phy; non semel illic compotavimus. *A.* Agnoscis igitur viam utrinque arboribus, pari digestis intervallo, sepram. *T.* Ad lævam ædium partem, altero ferè baliſtæ jactu. *A.* Tenes. Alterum viæ latus habet alveum ſiccum, dumis ac vepribus obſitum: è ponticulo iter eſt ad apertam planiciem. *T.* Memini. *A.* Jampridem vagabatur rumor ac fabula per ejus loci ruſticos, juxta ponticulum hunc obverſari ſpectrum quoddam, cujus ſubinde exaudirentur miſerandi ejulatus: ſuſpicabantur animam eſſe cujuſpiam, quæ diris cruciatibus torqueretur. *T.* Quis autor erat iſtius rumoris? *A.* Quis niſi Polus? Hoc prooemium præſtruxerat ſuæ fabulæ. *T.* Quid iſti venit in mentem, ut iſta confingeret? *A.* Neſcio, niſi quia ſic eſt hominis ingenium: gaudet hujuſmodi commentis ludere ſtultitiam populi. Dicam quid nuper deſignârit hujus generis. Simul equitabamus aliquammulti Richemondam, inter quos erant quos tu diceres cordatos homines. Cœlum erat mirè ſerenum, nec ullâ uſquam nubeculâ ſubfuſcatum. Ibi Polus intentis in cœlum oculis, ſignavit totam faciem ac ſcapulas imagine crucis; & vultu ad ſtuporem compoſito, ita ſecum: Deum immortalem! quid ego video! Rogantibus qui proximè equitabant, quid videret; rurſus

obſignans

obſignans ſe majore cruce: Avertat, inquit, clementiſſimus Deus hoc oſtentum. Cùm inſtarent aviditate cognoſcendi; ille defixis in cælum oculis, ac digito commonſtrans cœli locum; Nonne, inquit, videtis illic immanem draconem, igneis armatum cornibus, caudâ in circulum retorta? Cùm negarent ſe videre, atque ille juſſiſſet oculos intendere, ac locum ſubinde commonſtraret, tandem unus quiſpiam, ne videretur parùm oculatus, affirmavit ſe quoq; videre. Hunc imitatus eſt unus item atque alter: pudebat enim non videre quod tam eſſet perſpicuum. Quid multis? Intra triduum rumor hic totam Angliam pervaſerat, tale portentum apparuiſſe. Mirum autem, quantum fama popularis addidit fabulæ. Nec deerant qui, quid ſibi vellet oſtentum, interpretarentur ſerió. Horum ſtultitiâ ille qui commentus fuerat argumentum, magna cum voluptate fruebatur. *T.* Agnoſco hominis ingenium. Sed redi ad ſpectrum. *A.* Interea commodùm divertit ad Polum Faunus quidam ſacerdos, ex eorum genere, quibus non ſatis eſt appellari Latinè Regulares, niſi Græcè cognomen idem accinatur, Parochus vici illic alicunde vicini. Is ſibi non vulgariter videbatur ſapere, præſertim in rebus ſacris. *T.* Intelligo; repertus eſt actor fabulæ. *A.* Super cœnam ortus eſt

ſermo

sermo de rumore spectri. Cùm Polus sentiret Fauno rumorem hunc non solùm auditum esse, verùm etiam creditum, cœpit hominem obtestari, vir doctus ac pius succurreret animulæ tam dira patienti. Et si quid dubitas, inquit, explora rem, ambula ad decimam juxta ponticulum illum, & audies miserum ejulatum: adjunge tibi quem voles comitem; ita & tutior audies, & certiùs. *T.* Quid deinde? *A.* Cœnâ peractâ, Polus ex more abit venatum aut aucupatum. Faunus obambulans, cùm jam tenebræ certum fustulissent de rebus judicium, tandem audit miserandos gemitus: hos Polus artifex misere effingebat, abditus illic in vepreto, adhibitâ ad id ollâ fictili, quo vox è cavo reddita lugubrius quiddam sonaret. *T.* Hæc fabula, ut video, vincit phasma Menandri. *A.* Magis isthuc dices, si totam audieris. Faunus domum se recepit, narrare cupiens quid audîsset. Polus aliâ viâ compendiariâ jam anteverterat. Ibi Faunus narrat Polo quid erat actum, & aliquid etiam adfingit, quò res esset admirabilior. *T.* Poterat interim Polus tenere risum? *A.* Illéne? Vultum habet in manu: dixisses seriò agi. Tandem Faunus, vehementer obtestante Polo, suscepit negotium exorcismi; ac totam eam noctem agit insomnem, dum dispicit, quibus modis rem aggrederetur tutò; nam sibi quoque misere metuebat. Primùm itaque congesti

congesti sunt exorcismi efficacissimi, & additi novi nonnulli per viscera Beatæ Mariæ, per ossa Beatæ Werenfridæ. Deinde deductus est locus in planicie vicina vepreto, unde vox audiebatur: circumductus est circulus satis amplus, qui erebras haberet crucis, variásque notulas. Hæc omnia peragebantur verbis conceptis. Adhibitum est vas ingens, plenum aquæ consecratæ. Addita est in collum sacra stola, quam vocant, unde pendebat initium Evangelii secundùm Joannem. In loculis habebat cerulam, à Romano Pontifice quotannis consecrari solitam, quæ vulgò dicitur Agnus Dei. His armis olim se muniebant adversus noxios dæmones, priusquam illis Franciscicuculla cœpit esse formidabilis. Hæc omnia procurata sunt, ne, si spiritus malus esset, impetum faceret in exorcistam. Nec tamen ausus est se solum huic circulo committere: decretum est adhibendum esse sacerdotem alterum. Ibi Polus metuens ne, si nasutior adjunctus fuisset, proderetur fabulæ mysterium, adjungit Parochum quendam ex vicinia, cui rem totam aperit: sic enim postulabat actio fabulæ; & erat is qui à tali ludo non abhorreret. Postridie rebus omnibus rite præparatis, sub horam decimam Faunus cum Parocho circulum ingreditur. Polus, qui præcesserat, è vepreto gemit miserabiliter: Faunus auspicatur exorcismum.

Interim

Interim Polus clàm per tenebras ſubducit ſe in villam proximam : illinc adducit aliam perſonam fabulæ ; nec enim poterat niſi per multos agi. *T.* Quid faciunt ? *A.* Conſcendunt equos nigros ; ignem occultum ſecum ferunt. Ubi non procul abeſſent à circulo, ignem oſtentant, quò metu Faunum abigerent è circulo. *T.* Quantum operæ ſumſit Polus ille, ut falleret ! *A.* Sic eſt homo. Verùm ea res propemodum peſſimè ceſſerat illis. *T.* Quî fic? *A.* Nam equi ſubitò prolato igne conſternati, parùm abfuit quin & ſe præcipitarent, & ſeſſores. Habes primum actum fabulæ. Ubi reditum eſt in colloquium, Polus velut ignarus omnium rogat quid eſſet actum ? Ibi Faunus narrat, ſibi conſpectos duos teterrimos cacodæmones in nigris equis, oculis igneis, ac naribus ſpirantes ignem, qui tentâſſent ingredi circulum, verùm efficacibus verbis abactos in malam rem. His rebus quum accreviſſet animus Fauno, poſtero die ſummo cum apparatu rediit in circulum : Cúmq; diu multis obteſtationibus provocâſſet ſpectrum Polus rurſum cum collega ſuo procul oſtendunt ſeſe ex equis atris, horrendo fremitu, quaſi cuperent irrumpere in circulum. *T.* Nihil habebant ignis ? *A.* Nihil, nam id malè ceſſerat : ſed audi aliud commentum. Ducebant longum funem : eo leviter per humum tracto, dum hinc atq; hinc uterque ſe proripit,

velut

velut abacti exorciſmis Fauni, ſacerdotem utrumq; unà cum vaſe quod habebant aquæ ſacræ plenum, provolvunt in terram. *T.* Hoc præmii tulit pro ſua actione Parochus? *A.* Tulit: Et tamen hoc maluit perpeti, quàm deſerere cœptam fabulam. His ita geſtis, ubi reditum eſt ad colloquium, de prædicat ad Polum Faunus quanto fuiſſet in periculo, & quàm fortiter utrumque cacodæmonem ſuis verbis profligâſſet: jámq; certam conceperat fiduciam, nullum eſſe tam noxium aut impudentem dæmonem, qui poſſet in circulum irrumpere. *T.* Faunus ille non multum abeſt à fatuo. *A.* Nihil adhuc audîſti. Hucuſq; progreſſâ fabulâ commodùm ſupervenit Poli gener: nam ejus filiam duxerat natu maximam, juvenis, ut ſcis, ingenio mirè feſtivo. *T.* Scio; nec abhorrens ab hujuſmodi jocis. *A.* Abhorrens? Nullum ille vadimonium non deſereret, ſi talis vel ſpectanda vel agenda eſſet fabula. Huic ſocer rem omnem denarrat, atq; illi delegat partes, ut animam agat. Sumit ornatum ac lubens; convolvit ſe linteo, quemadmodum apud nos ſolent funera: habet prunam vivam in teſta quæ per linteum reddebat ſpeciem incendii. Sub noctem itum eſt ad locum, ubi hæc agebatur fabula. Audiuntur miri gemitus: Faunus expedit exorciſmos omnes. Tandem procul inter vepretum oſtendit ſeſe anima, ſubinde oſtentans

oſtentans ignem, ac miſerè ſuſpirans. Hanc cùm Faunus obteſtaretur, ut eloqueretur quiſnam eſſet; ſubitò proſiliit è vepreto Polus, ornatu cacodæmonis, fictóque fremitu: Nihil, inquit, tibi juris eſt in hanc animam; mea eſt: ac ſubinde procurrit uſque ad oram circuli, velut impetum facturus in exorciſtam; móxque velut ſubmotus verbis exorciſmi, & vi aquæ ſacræ, quam illi multum adſperſit, retroceſſit. Tandem abacto Pædagogo dæmone, naſcitur dialogiſmus Fauni cum anima. Percontanti, & obteſtanti reſpondit, ſe eſſe animam hominis Chriſtiani. Rogata, quo nomine vocaretur, reſpondit, Faunus. Faunus, idem, inquit, mihi nomen eſt. Jámque ex communi nomine res cœpit illi magis eſſe cordi, ut Faunus Faunum liberaret. Cùm Faunus multa percontaretur, ne diutina confabulatio proderet fucum, ſubducebat ſeſe anima, negans ſibi fas eſſe diutiùs colloqui, quòd tempus urgeret, quo cogeretur abire quò liberet dæmoni: Pollicita tamen eſt, ſeſe poſtridie redituram horâ quâ fas eſſet. Rurſus convenitur in ædibus Poli, qui choragus erat fabulæ. Ibi denarrat exorciſta quid eſſet geſtum, nonnulla etiam admentiens, quæ ſibi tamen perſuadebat eſſe vera. Adeò favebat negotio quod agebatur. Jam hoc compertum erat, animam (ſcilicet) eſſe Chriſtianam, quæ ſub inclementiſſimo dæmone diris cruciatibus vexaretur.

vexaretur. Huc omnis conatus intenditur. Verùm exorcismo proximo ridiculum quiddam accidit. *T.* Obsecro, quidnam? *A.* Cùm Faunus evocâsset animam, Polus, qui dæmonem agebat, prorsus sic adsiliit, quasi intra circulum irrupturus: Cúmque contrà Faunus pugnaret exorcismis, multámque vim aquæ adspergeret, tandem exclamat Dæmon, se ne pili quidem facere ista omnia. Rem, inquit, habuisti cum puella; mei juris es. Id cùm Polus joco diceret, tamen forte fortuna verum dixisse visus est. Nam exorcista hoc dicto tactus, illico recepit se in centrum circuli, & nescio quid immussitavit in aurem Parocho. Id Polus sentiens, recepit sese, ne quid audiret, quod audire fas non esset. *T.* Sanè Polus religiosum ac verecundum agebat dæmonem. *A.* Sic est. Reprehendi poterat actio, quòd parùm meminisset decori. Exaudivit tamen Parochi vocem indicentis satisfactionem de stupro commisso. *T.* Hoc sanè regularis ille præter regulam. *A.* Homines sunt, & lapsus erat humanus. *T.* Perge: quid deinde factum? *A.* Jam Faunus ferocior redit ad oram circuli, & ultro provocat dæmonem. At ille timidior refugiebat; fefellisti me, inquiens: si sapuissem, non monuissem te. Persuasum est hoc multis, quæ semel sacerdoti confessus sis, prorsus abolita esse è memoria dæmonis, ne possit opprobrare. *T.* Jocum planè ridiculum narras.

*A.* Sed

*A.* Sed, ut aliquando finiam fabulam, diebus aliquot hunc in modum colloquium habitum eſt cum anima. Summa huc evaſit. Roganti exorciſtæ, numquâ viâ poſſet à cruciatu liberari? Reſpondit illa, poſſe, ſi pecunia, quam reliquiſſet fraude partam, reſtitueretur. Ibi Faunus, Quid, inquit, ſi per bonos viros diſpenſaretur in pios uſus? Reſpondit, & hoc profuturum. Hîc exhilaratus exorciſta, ſummâ diligentiâ percontatus eſt, quanta eſſet ſumma. Illa dixit ingentem; quod illi erat bonum atque commodum. Indicavit & locum, ſed procul diſſitum, ubi theſaurus hic defoſſus eſſet. Præſcripſit in quos uſus vellet impendi. Quod ſupereſſet ipſe pro ſuo arbitratu diſpenſaret. Jam totus erat in theſauro Fauni animus; illum toto pectore deverârat. *T.* Vulgaris morbus eſt, quamquam hoc nomine peculiariter malè audiant ſacerdotes. *A.* Ubi nihil eſſet omiſſum, quod ad pecuniæ negotium pertineret, exorciſta ſubmonitus à Polo, cœpit animam de curioſis artibus percontari; de Alcumiſtica, déque Magia. Et ad hæc anima quædam reſpondit pro tempore, cæterùm pollicita, ſe plura indicaturam, ſimulatque illius operâ liberata fuiſſet à Pædagogo dæmone. Sit hic, ſi videtur, tertius fabulæ actus. In quarto Faunus cœpit ubiquè ſeriò prædicare rem prodigioſam, nihil aliud crepare in colloquiis, in conviviis; polliceri monaſteriis

nasteriis magnifica quædam; & omnino nihil jam humile loquebatur. Adiit locum, reperit signa, non ausus tamen est effodere thesaurum, quòd animo injecisset scrupulum, ingenti periculo facturum, si, priusquam essent peractæ Missæ, thesaurus attingeretur. Jam multis nasutioribus subolebat fucus. Cùm tamen ille nusquam non deprædicaret suam stultitiam, clàm admonitus est ab amicis, præsertim ab Abbate suo, ne, qui hactenus habitus esset vir prudens, nunc diversum de se specimen daret omnibus. Ille tamen nullius oratione potuit commoveri, quò minùs crederet rem esse seriam: adeóque penitus hæc imaginatio occupavit animum hominis, ut præter spectra & malos genios nihil somniaret, nihil loqueretur. Abierat mentis habitus in ipsam faciem; quæ sic pallebat, sic erat extenuata, sic dejecta, ut larvam esse diceres, non hominem. Quid multis? Minimùm aberat à vera dementia, ni celeri remedio succursum fuisset. *T.* Nimirum hic erat extremus actus fabulæ. *A.* Eum tibi reddam. Polus & ejus gener hujusmodi technam commenti sunt. Effinxerunt epistolam raris literis descriptam; idque non in chartis vulgaribus, sed in his, in quibus aurifices reponunt bracteas auri, subrubentibus, ut scis, luto. Epistolæ sententia hæc erat. Faunus dudum captivus, nunc liber, Fauno liberatori suo optimo

mo ſalutem æternam. Non eſt, mi Faune, cur te diutiùs in hoc negotio maceres: reſpexit Deus animi tui piam voluntatem, & illius merito me liberavit à ſuppliciis: ego nunc feliciter ago inter angelos. Te manet locus apud divum Auguſtinum, qui proximus eſt Apoſtolorum choro. Ubi veneris ad nos, agam tibi gratias coràm. Interim, cura ut vivas ſuaviter. Datum è cœlo empyreo, Idibus Septembribus, anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo octavo, ſub ſigillo annuli mei. Hæc epiſtola clàm poſita eſt ſub altari, ubi facturus erat rem divinam Faunus. Eâ peractâ, ſubornatus eſt, qui eum ſubmoneret de re, quaſi caſu deprehenſa. Nunc eam circumfert epiſtolam, & oſtentat ceu rem ſacram; nihilque credit certiùs, quàm eam è cœlo perlatam ab angelo. *T.* Iſtud non eſt liberâſſe hominem inſaniâ, ſed mutâſſe inſaniæ genus. *A.* Sic eſt profectò, niſi quòd nunc inſanit ſuaviùs. *T.* Antehac non ſoleo multum tribuere fabulis, quæ vulgò feruntur de ſpectris, ſed poſthac multò minùs tribuam: ſuſpicor enim ab hominibus credulis, & Fauni ſimilibus, multa pro veris pròdita literis, quæ ſimili artificio ſunt affimulata. *A.* Ego pleraque hujus generis eſſe credo.

Collo-

## Colloquium XLII.

## REDUX E MILITIA.

*Hanno, Thrasymachus.*

Unde redis nobis Vulcanus, qui Mercurius hinc abieras? *T.* Quos Vulcanos, aut quos Mercurios mihi narras? *H.* Quia alatus videbare cùm abires, nunc claudicas. *T.* Sic à bello rediri solet. *H.* Quid tibi cum bello, homo quovis damâ fugacior? *T.* Spes prædæ reddiderat fortem. *H.* Multum igitur refers manubiarum? *T.* Imò zonam inanem. *H.* Tantò minùs gravare sarcinâ. *T.* Atqui sceleribus onustus redeo. *H.* Gravis profectò sarcina, si verum dicit Propheta, qui peccatum appellat plumbum. *T.* Plus illic scelerum & vidi, & patravi, quàm unquam antehac in omni vita. *H.* Ecquid igitur arridet vita militaris? *T.* Nihil neque sceleſtius, neque calamitosius. *H.* Quid igitur in mentem venit istis, qui nummo conducti, nonnulli gratis, currunt ad bellum, non aliter quàm ad convivium? *T.* Ego nihil aliud conjectare possum, quàm illos agi malis furiis, séque totos malo dæmoni ac miseriæ devovisse, nec aliud quàm hîc manes suos anticipare. *H.* Ita quidem videtur. Nam ad res honestas vix ullo precio conduci queant. Sed expone nobis, quomodo gestum sit prælium, & utrò sese inclinârit victoria. *T.* Tantus erat strepitus, tumultus, tubarum bombi,

A.

Mercuri-
os, au
uia ala-
audicas,
uid tibi
gacior?
Multum
zonam
arcinâ,
H. Gra-
opheta,
T. Plus
àm un-
uid igi-
neque
uid igi-
condu-
m, non
o nihil
gi ma-
c mise-
nes su-
Nam
i que-
um sit
ia. T.
arum
ombi,

ombi, cornuum tonitrua, hinnitus equo-
rum, clamor virorum, ut neque videre potu-
erim quid gereretur, neq; audire, adeò ut vix
scirem ubi essem ipse. *H.* Unde igitur cæteri,
qui ex bello veniunt, sic depingunt singula,
quid quisque dixerit aut gesserit, quasi nus-
quam non adfuissent otiosi spectatores? *T.*
Ego credo istos mentiri splendidé. In ten-
torio meo quid gestum sit scio, quid in
prælio prorsus ignoro. *H.* Anne hoc qui-
dem scis, unde tibi venerit claudicatio? *T.*
Vix; ita me Mavors posthac malè amet: sus-
picor, aut saxo, aut equi calce læsum genu.
*H.* At ego scio. *T.* Scis? An tibi narravit ali-
quis? *H.* Non, sed divino. *T.* Dic igitur.
*H.* Cùm fugeres pavidus, collapsus humi of-
fendisti in silicem. *T.* Dispeream, nisi rem
acu tetigisti; adeò verisimile est quod divi-
nâsti. *H.* Abi domum, & uxori narra tuas
victorias. *T.* Illa mihi occinet haud suave
encomium, qui nudus redeam. *H.* Sed un-
de restitues quod rapuisti? *T.* Jampridem
restitui. *H.* Cui? *T.* Scortis, cœnopolis, &
iis qui me vicerunt aleâ. *H.* Satis militari-
ter. Par est, ut quod malè partum est, pejùs
dispereat. Verùm à sacrilegiis, opinor, tem-
peratum est. *T.* Imò illic erat sacrum nihil.
Nec profanis parcitum est, nec sanis. *H.*
Quo pacto sarcies? *T.* Negant oportere sar-
ciri, quod in bello commissum sit: jure fit,
quod illic fit. *H.* Jure belli fortassis. *T.* Tenes.

*H.* At

*H.* At iſtud jus, ſumma eſt injuria. T
non patriæ pietas, ſed prædæ ſpes pertra
in bellum. *T.* Fateor, ac arbitror paucos i
luc ire ſanctiore propoſito. *H.* Eſt aliquid i
ſanire cum multis. *T.* Concionator è ſu
geſto pronunciavit bellum eſſe juſtum.
Suggeſtum illud non ſolet mentiri. Sed ut j
ſtum ſit Principi, non continuò juſtum
tibi. *T.* Audivi ex Rabbinis, quòd licet
cuique arte vivere. *H.* Præclara ars, inc
dere domos, diripere templa, violare virgin
ſpoliare miſeros, occidere innoxios! *T.* La
conducuntur ad mactandum bovem ;
noſtra ars reprehenditur, quòd conduc
mur ad mactandos homines? *H.* Non er
ſolicitus, quónam eſſet migratura anima tu
ſi contigiſſet in bello cadere? *T.* Non a
modum. Bona ſpes habebat animum m
um. Nam Divæ Barbaræ me ſemel co
mendâram. *H.* O ſtultitiam! Receperat
la tutelam tui? *T.* Sic mihi viſa eſt annue
capite aliquantulúm. *H.* Quando iſthuc ti
viſum eſt? Manè? *T.* Non, ſed à cœna.
Sed tum, ut arbitror, etiam arbores tibi vi
ſunt ambulare. *T.* Ut hic divinat omnia! S
præcipua ſpes erat in divo Chriſtophoro, c
jus imaginem quotidie contemplabar. *H.* I
tentoriis? Unde illic Divi? *T.* Carbo
pinxeramus illum in velo. *H.* Nimiru
haudquaquam ſiculnum, ut aiunt, præſidiu
erat carbonarius ille Chriſtophorus. S
extra

extra jocum, non video, quî possis expiari à tantis flagitiis, nisi te conferas Romam. *T.* Imò novi viam breviorem. *H.* Quam? *T.* Ibo ad Dominicales: illic paulo transfigam cum commissariis. *H.* Etiam de sacrilegiis? *T.* Etiamsi Christum ipsum spoliâssem, ac decollâssem etiam; tam largas habent indulgentias, & auctoritatem componendi. *H.* Bene habet, si vestram compositionem Deus ratam habuerit. *T.* Imò magis metuo, ne Diabolus non habeat ratam. Nam Deus naturâ placabilis est. *H.* Quem tibi sacerdotem deliges? *T.* Cui cognovero quàm minimum esse frontis ac bonæ mentis. *H.* Ne non habeant similes labra lactucas. Ab illo purus abibis ad corpus Dominicum? *T.* Quidni? Posteaquam semel effudero sentinam in illius cucullam, ego me exoneravero sarcinâ: ipse viderit, qui absolvit. *H.* Quî scis, an absolvat? *T.* Scio. *H.* Quonam indicio? *T.* Quia manum imponit capiti, admurmurans nescio quid. *H.* Quid si reddat tibi omnia peccata tua, cùm manum imponit, hæc admurmurans: Absolvo te ab omnibus benefactis, quæ nulla in te comperio: & restituo te tuis moribus, talémq; dimitto, qualem accepi? *T.* Viderit ille quid dicat; mihi satis est, quòd me credo absolutum. *H.* Sed istud tuo periculo credis. Fortasse non fuerit satis Deo, cui debes. *T.* Unde tu mihi obvius, qui mihi conscientiam è serena nubilam redderes?

*H.* Felix occursus! Bona avis est obvius amicus, qui bene moneat. *T.* Nescio quàm bona, certè parùm suavis.

## Colloquium XLIII.

## REDUX AB HIEROSOLYMIS.

*Arnoldus, Cornelius.*

Salve multùm Corneli, jam toto seculo desiderate. *C.* Salve & tu, sodalis exoptatissime. *A.* Jam desperabamus reditum tuum. Ubi tamdiu peregrinatus es? *Cor.* Apud inferos. *Arn.* Non admodum veri dissimile dicis, adeò nobis redîsti squalidus, macilentus, & pallidus. *C.* Imò ab Hierosolymis adsum tibi, non à profundis manibus. *A.* Quis genius, aut quis ventus te illuc adegit? *C.* Quæ res adegit alios innumeros? *Ar.* Stultitia, ni fallor. *Cor.* Igitur hoc convicii non in me solum competet. *Arn.* Quid illic venabare? *Cor.* Ut miser essem. *A.* Isthuc licebat domi. Estne illic quod tu putas spectatu dignum? *C.* Ut ingenuè fatear tibi, propemodum nihil. Ostenduntur quædam monumenta vetustatis, quorum mihi nihil non videbatur commentitium, & excogitatum ad illiciendos simplices & credulos. Imò nec hoc arbitror illos certò scire, quo loco sita fuerit olim Hierosolyma. *A.* Quid igitur vidisti? *C.* Magnam ubique barbariem. *A.* Nihilo sanctior redis? *C.* Imò multis partibus deterior. *A.* Nummatior ergo?

obvius
io quàm

YMIS.

ſeculo
exopta-
tum tu-
Cor. A-
eri diffi-
us, ma-
Hicroſo-
anibus.
lluc ad-
meros?
ur hoc
. Ar.
eſſem.
quod tu
ngenuè
endun-
quorum
ium, &
& cre-
s certò
ſolyma.
n ubiq;
C. Imò
matior
ergo?

ergo? *C.* Imò nullior Leberide. *A.* Annon pœnitet igitur tam longinquæ peregrinationis fruſtra ſuſceptæ? *C.* Nec pudet, quia tam multos habeo meæ ſtultitiæ ſodales: nec pœnitet, quia fruſtra jam ſit pœnitere. *A.* Nihil ergo fructûs refers ex tam difficili peregrinatione? *C.* Multum. *A.* Quid tandem? *C.* Quia poſthac vivam ſuaviùs. *A.* An quia jucundum eſt meminiſſe laborum actorum? *C.* Eſt iſthuc quidem nonnihil, ſed non in hoc ſunt omnia. *A.* Eſtne aliud præmium? *C.* Eſt ſané. *A.* Quod? Effare. *C.* Magnâ voluptate, quoties libebit, & ipſe me afficiam, & alios mentiendo, quoties itinerarium meum recitabo in conviviis. *A.* Profectò non procul aberras à ſcopo. *C.* Deinde, non minus capiam voluptatis, quum alios audiam mentientes de rebus, quas nec audiverunt unquam, nec viderunt: ídque faciunt tantâ confidentiâ, ut quum narrent Siculis gerris vaniora, tamen ſibi etiam perſuadeant ſe vera loqui. *A.* Mira voluptas! Non omnino tibi periit oleum & opera, quod aiunt. *C.* Imò hoc arbitror aliquantò conſultius, quàm quod faciunt iſti, qui paulo pecuniæ conducti proficiſcuntur in militiam, omnium ſcelerum ſcholam. *A.* Sed illiberalis eſt voluptas, ex mendaciis voluptatem capere. *C.* Verùm hoc aliquantò liberalius, quàm obtrectatione vel delectare, vel delectari, aut aleâ tempus & rem

perdere. *A.* Cogor equidem pedibus ire in tuam sententiam. *C.* Verùm est & alius fructus. *A.* Quis? *C.* Si quis erit amicus egregiè charus, affinis huic insaniæ, eum admonebo domi maneat: ut nautæ solent ejecti naufragio, monere navigaturos, quid periculi sit vitandum. *A.* Utinam mihi monitor adfuisses in tempore! *C.* Quid? num similis morbus te quoque corripuit? Num efflavit & te hujus mali contagium? *A.* Visi Romam, & Compostellam. *C.* Deum immortalem! quanto mihi solatio est, te contigisse stultitiæ meæ socium! Quæ Pallas istuc tibi misit in mentem? *A.* Non Pallas, sed ipsa stultitia; præsertim, quum domi haberem uxorem integrâ adhuc ætate, liberos aliquot, & familiam, quæ pendebat ex me, & operâ meâ quotidianâ alitur. *C.* Oportuit fuisse seriæ rei quidpiam, quæ te à charissimis tuis distraxerit. Narra obsecro. *Arn.* Pudet dicere. *C.* Non apud me, qui, ut scis, eodem tenear malo. *Ar.* Comportabamus aliquot vicini. Ubi vino incaluerat animus, erat qui prædicabat, sibi esse in animo salutare divum Jacobum: erat alter, qui divum Petrum. Illico non defuit unus aut alter, qui sponderent se comites fore. Tandem visum est, ut omnes irent simul. Ego ne viderer parùm commodus compotor, pollicitus sum & ipse. Mox agitari cœptum, utrò potiùs iremus, Romam,

an

an Compoſtellam. Factum eſt ſenatuſconſultum, ut bonis auſpiciis utrèque poſtridie proficiſceremur omnes. *Cor.* O grave decretum, dignius quod vino inſcriberetur, quàm æri! *Arn.* & mox ingens obambulat patera, quam ubi ſuo quiſque ordine ebibiſſet, votum factum eſt inviolabile. *Cor.* Nova religio: ſed unum omnibus contigit reditus incolumis? A. Omnibus, præterquam tribus, quorum unus in protectione moriens, mandavit nobis ut ſuis verbis ſalutem diceremus Petro & Jacobo. Alter periit Romæ, juſsítque, ut ſuo nomine ſalutaremus uxorem ac liberos. Tertium reliquimus Florentiæ, valetudinis planè deploratæ. Opinor jam eſſe apud ſuperos. *Cor.* Adeóne pius erat? A. Imò nugator maximus. *C.* Unde igitur iſthuc ſuſpicare? A. Quia peram habebat indulgentiis largiſſimis diſtentam. *C.* Audio: ſed iter eſt longum in cœlum, nec ſatis, ut audio, tutum ob latruncu'os, qui obſident regionem aeris mediam. A. Verum: ſed ille ſat erat munitus diplomatibus. *C.* Quâ linguâ deſcriptis? A. Romanâ. *C.* In tuto eſt igitur? A. Eſt, niſi fortè incidat in Genium aliquem qui Latinè neſciat: tum eſſet illi redeundum Romam, & novum diploma impetrandum. *C.* Bullæ venduntur illic & mortuis? A. Maximé. *C.* Sed interim illud mihi monendus es, ne quid effutias incogitantiùs. Jam enim

Coryceis plena ſunt omnia. *A.* Ego verò combibonis mei ſtulticiam rideo, qui, quum eſſet alioqui nugator nugaciſſimus, ſalutis ſuæ proram, ut aiunt, ac puppim in membrana collocârit potiùs quàm in veră pœnitentia. Sed quando fruemur illâ voluptate quam modò prædicabas? *C.* Cùm erit commodum, adornabimus compotatiunculam aliquam; vocabimus noſtri ordinis homines: ibi certabimus mentiendo, nóſque affatim mutuis mendaciis oblectabimus. *A.* Age, fiat.

## Colloquium XLIV.

## NAUFRAGIUM.

*Antonius, Adolphus.*

Horrenda narras. Eſt iſthuc navigare? Prohibeat Deus, ne mihi quidquam unquam tale veniat in mentem. *Ad.* Imò quod hactenus commemoravi, luſus merus eſt præ his quæ nunc audies. *An.* Plus ſatis malorum audivi; inhorreſco te memorante, quaſi ipſe periculo interſim. *Ad.* Imò mihi jucundi ſunt acti labores. Eâ nocte quiddam accidit, quod magna ex parte ſpem ſalutis ademit nautclero. *An.* Quid obſecro? *Ad.* Nox erat ſubluſtris & in ſummo malo ſtabat quidam è nautis in galeâ (ſic enim vocant, opinor) circumſpectans, ſi quam terram videret: huic cœpit adſiſtere ſphæra quædam ignea:

ignea: id nautis triſtiſſimum oſtentum eſt, ſi quando ſolitarius ignis eſt; felix, cùm gemini. Hos vetuſtas credidit Caſtorem & Pollucem. *An.* Quid illis cum nautis, quorum alter fuit eques, alter pugil? *Ad.* Sic viſum eſt Poetis. Nauclerus, qui clavo adſidebat, Socie, inquit, (nam eo nomine ſe mutuò compellant nautæ) vidéſne quod ſodalitium tibi claudat latus? Video, reſpondit ille, & precor ut ſit felix. Mox globus igneus delapſus per funes devolvit ſeſe uſque ad nauclerum. *An.* Num ille exanimatus eſt metu? *Ad.* Nautæ aſſueverunt monſtris. Ibi pauliſper commoratus, volvit ſeſe per margines totius navis; inde per medios foros dilapſus evanuit. Sub meridiem cœpit magis ac magis increſcere tempeſtas. Vidiſtíne unquam Alpes? *An.* Vidi. *Ad.* Illi montes verrucæ ſunt ſi conferantur ad undas maris. Quoties tollebamur in altum, licuiſſet Lunam digito attingere: quoties demittebamur, videbamur dehiſcente terrâ rectà ire in Tartara. *An.* O inſanos, qui ſe credunt mari! *Ad.* Nautis fruſtra luctantibus cum tempeſtate, tandem nauclerus totus pallens nos adiit. *An.* Is pallor præſagit aliquod magnum malum. *Ad.* Amici, inquit, deſii eſſe dominus navis meæ: Vicere venti; reliquum eſt ut ſpem noſtram collocemus in Deo, & quiſque ſe præparet ad extrema. *An.* O verè Scythicam concionem! *Adol.* Inprimis autem, inquit,

exoneranda eſt navis. Sic jubet neceſſitas, durum telum : præſtat conſulere vitæ diſpendio rerum, quàm ſimul cum rebus interire. Perſuaſit veritas : projecta ſunt in mare plurima vaſa plena precioſis mercibus. *An.* Hoc erat verè jacturam facere. *Ad.* Aderat Italus quidam, qui legatum egerat apud Regem Scotiæ : huic erat ſcrinium plenum vaſis argenteis, annulis, panno, ac veſtimentis ſericis. *An.* Is volebat decidere cum mari ? *Ad.* Non ; ſed cupiebat aut perire cum amicis opibus ſuis, aut ſimul cum illis ſervari. Itaque refragabatur. *An.* Quid nauclerus ? *Ad.* Per nos, inquit, liceret tibi cum tuis perire ſolùm ; ſed æquum non eſt, ut nos omnes tui ſcrinii causâ periclitemur ; alioqui te unà cum ſcrinio dabimus in mare præcipitem. *An.* Orationem verè nauticam. *Ad.* Sic Italus quoque jacturam fecit, multa mala precans & ſuperis & inferis, quòd ſuam vitam elemento tam barbaro credidiſſet. *An.* Agnoſco vocem Italicam. *Ad.* Paulò poſt venti nihilo mitiores facti noſtris muneribus, rupere funes, disjecere vela. *An.* O calamitatem ! *Ad.* Ibi rurſus nos adit nauta. *Ant.* Concionaturus ? *Adolphus.* Salutat ; Amici, inquit, tempus hortatur ut unuſquiſque Deo ſe commendet, ac morti ſe præparet. Rogatus à quibuſdam nauticæ rei non imperitis

ad

ad quot horas crederet ſe poſſe tueri navem? negavit ſe poſſe polliceri quidquam, ſed ultra tres horas non poſſe. *An.* Hæc concio durior etiam erat priore. *Ad.* Hæc ubi locutus eſt, jubet incidi funes omnes, ac malum uſq; ad thecam, cui inſeritur, incidi ſerrâ, ac ſimul cum antennis devolvi in mare. *An.* Cur hoc? *Ad.* Quoniam ſublato aut lacero velo, erat oneri, non uſui: tota ſpes erat in clavo. *An.* Quid interea vectores? *Ad.* Ibi vidiſſes miſeram rerum faciem: nautæ canentes, Salve regina, implorabant Matrem Virginem, appellantes eam ſtellam maris, reginam cœli, dominam mundi, portam ſalutis, aliiſque multis titulis illi blandientes, quos nuſquam illi tribuunt ſacræ literæ. *Ant.* Quid illi cum mari, quæ nunquam, opinor, navigavit? *Ad.* Olim Venus agebat curam nautarum, quia nata credebatur ex mari: ea quoniam deſiit curare, ſuffecta eſt huic matri non virgini, Virgo Mater. *An.* Ludis. *Ad.* Nonnulli procumbentes in tabulas, adorabant mare, quidquid erat olei effundentes in undas, non aliter illi blandientes, quàm ſolemus irato Principi. *Ant.* Quid aiebant? *Ad.* O clementiſſimum mare! O generoſiſſimum mare! O ditiſſimum mare! O formoſiſſimum mare? mitteſce, ſerva. Hujuſmodi multa occinebant ſurdo mari. *Ant.* Ridicula ſuperſtitio! Quid alii? *Ad.* Quidam nihil aliud quàm vomebant;

pleriq; vota nuncupabant. Aderat Anglus quidam, qui promittebat montes aureos Virgini Walsingamicæ, si vivus attigisset terram. Alii multa promittebant ligno crucis, quod esset in tali loco: alii rursum, quod esset in tali loco. Idem factum est de Maria Virgine, quæ regnat in multis locis; & putant votum irritum, nisi locum exprimas. *An.* Ridiculum! quasi divi non habitant in cœlis. *Ad.* Erant qui se promitterent fore Carthusianos. Erat unus qui polliceretur se aditurum divum Jacobum, qui habitet Compostellæ, nudis pedibus & capite, corpore tantùm loricâ ferreâ tecto, ad hæc cibo emendicato. *An.* Nemo meminit Christophori? *Ad.* Unum audivi non sine risu, qui clarâ voce, ne non exaudiretur, polliceretur Christophoro, qui est Lutetiæ in summo templo, mons veriùs quàm statua, cereum tantum quantus esset ipse. Hæc cùm vociferans quantùm poterat identidem inculcaret, qui fortè proximus adsistebat illi notus, cubito tetigit eum, ac submonuit: Vide quid polliceare is. Etiamsi rerum omnium tuarum auctionem facias, non fueris solvendo. Tum ille voce jam pressiore, ne videlicet exaudiret Christophorus; Tace inquit, fatue; an credis me ex animo loqui? Si semel contigero terram, non daturus sum illi candelam sebaceam. *An.* O crassum ingenium! Miror nulli in mentem venisse Paulum Apostolum, qui ipse

ipſe olim navigârit, & fractâ navi deſilierit in terram. Is enim haud ignarus mali, didicit forſan miſeris ſuccurrere. *Ad.* Pauli nulla erat mentio. *An.* Precabantur interim? *Ad.* Certatim. Alius canebat, Salve Regina; alius, Credo in Deum. Erant qui peculiares quaſdam preculas habebant, non diſſimiles magicis adverſus pericula. *An.* Ut afflictio facit religioſos! Rebus ſecundis nec Deus, nec divus quiſquam nobis venit in mentem. Quid tu interea? Nulli divorum nuncupabas vota? *Ad.* Nequaquam. *An* Cur ita? *Ad.* Quia non paciſcor cum divis. Quid enim eſt aliud quàm contractus juxta formulam: Do, ſi facias; aut faciam, ſi facias; Dabo cereum, ſi enatem; Ibo Romam, ſi ſerves? *An.* At implorabas alicujus divi præſidium. *Ad.* Ne id quidem. *An.* Quamobrem autem? *Adol.* Quia ſpatioſum eſt cœlum. Si cui divo commendâro meam ſalutem, puta S. Petro, qui fortaſſis primus audiet, quòd adſtet oſtio, priuſquam ille conveniat Deum, priuſquam exponat cauſam, ego jam periero. *An.* Quid igitur faciebas? *Ad.* Rectà adibam ipſum patrem; dicens, Pater noſter, qui es in cœlis. Nemo divorum illo citiùs audit, aut libentiùs donat quod petitur. *An.* Sed interea non reclamabat tibi conſcientia? Non verebaris appellare patrem, quem tot ſceleribus offenderas? *Ad.* Ut ingenuè dicam, deterrebat nonnihil conſcientia; ſed

mox

mox recipiebam animum, ita mecum cogitans: Nullus eſt pater tam iratus filio, quin, ſi videat illum periclitantem in torrente, aut lacu, capillis arreptum ejiciat in ripam. Inter omnes nullus ſe tranquilliùs agebat, quàm mulier quædam, cui erat infantulus in ſinu, quem lactabat. *An.* Quid illa? *Ad.* Sola nec vociferabatur, nec flebat, nec pollicitabatur; tantùm complexa puellum precabatur tacitè. Interea dum navis ſubinde illideretur vado, nauclerus metuens ne tota ſolveretur, rudentibus eam cinxit à prora & à puppi. *An.* O miſera præſidia! *Ad.* Interim exoritur quidam ſacrificus ſenex, annos natus ſexaginta, nomen erat Adamus: is abjectis veſtibus uſque ad induſium, abjectis etiam ocreis & calceis, juſſit ut omnes itidem pararemus nos ad natandum. Atque iſte ſtans in medio navis, concionatus eſt nobis ex Gerſone quinque veritates de utilitate confitendi; hortatus omnes, ut ſe quiſq; præparet & vitæ & morti. Aderat & Dominicanus quidam: his confeſſi ſunt qui volebant. *An.* Quid tu? *Ad.* Ego videns omnia plena tumultûs, tacitè confeſſus ſum Deo, damnans apud illum meam injuſtitiam, & implorans illius miſericordiam. *An.* Quò migraturus, ſi ſic periiſſes? *Ad.* Quò niſi ad Deum? Ille enim neminem ejicit foras, quicunq; ad ejus miſericordiam confugerit. Dum hæc aguntur, redit ad nos nauta lacrymabundus:

Paret,

Paret, inquit, ſe quiſque; nam navis non erit nobis uſui ad quartam horæ partem. Jam enim locis aliquot convulſa hauriebat mare. Paulò pòſt renunciat nobis, ſe videre procul turrim. Procumbunt omnes, & orant. Interim nauclerus quantùm poteſt, eò navem dirigit jam laceram, jam undiq; combibentem undas, ac planè dilapſuram, ni rudentibus fuiſſet ſuccincta. *An.* Dura rerum conditio! *Ad.* Eò provecti ſumus, ut ejus loci incolæ proſpicerent nos periclitantes, ac procurrentes catervatim in extremum litus, ſublatis togis, & galeris in lanceas impoſitis, invitabant ad ſeſe, ac jactatis in cœlum brachiis, ſignificabant ſe deplorare noſtram fortunam. *An.* Exſpecto quid evenerit. *Ad.* Jam mare totam navim occupârat, ut nihilo tutiores eſſemus futuri in navi, quàm in mari. *An.* Hîc ad ſacram anchoram confugiendum erat. *Ad.* Imò ad miſeram. Nautæ ſcapham exonerant aquâ, ac demittunt in mare. In hanc omnes ſeſe conantur conjicere, nautis magno tumultu reclamantibus, ſcapham non eſſe capacem tantæ multitudinis, arriperet ſibi quiſque quod poſſet, ac nataret. Res non patiebatur lenta conſilia: alius arripit remum, alius contum, alius alveum, alius ſitulam, alius tabulam; ac ſuo quiſq; præſidio innitentes, committunt ſe fluctibus. *An.* Quid interim accidit illi mulierculæ, quæ ſola

non

non ejulabat? *Ad.* Illa omnium prima pervenit ad litus. *An.* Quî potuit? *Ad.* Imposuimus cum tepandæ tabulæ, & sic alligaveramus, ut non facilè posset decidere: dedimus illi tabellam in manum, quâ vice remi uteretur: ac bene precantes exposuimus in fluctus, conto protrudentes, ut abesset à navi unde erat periculum. Illa lævâ tenens infantulum, dextrâ remigabat. *An.* O viraginem! *Ad.* Cùm jam nihil supereſſet, quidam avulsit ligneam ſtatuam Virginis Matris, jam putrem atq; excavatam à ſoricibus, eámq; complexus cœpit natare. *An.* Scapha pervenit incolumis? *Ad.* Nulli priùs periere. Porrò triginta ſeſe in eam conjecerant. *An.* Quo malo fato id factum eſt? *Ad.* Priuſquam poſſet ſe liberare à magna navi, illius vacillatione ſubverſa eſt. *An.* O factum malè! Quid tum? *Ad.* Ego, dum aliis conſulo, pènè perieram. *An.* Quo pacto? *Ad.* Quia nihil ſupererat aptum natationi. *An.* Illic ſubera fuiſſent uſui. *Ad.* In eo rerum articulo, maluiſſem vile ſuber quàm candelabrum aureum. Circumſpicienti tandem venit in mentem de ima mali parte: eam quoniam ſolus eximere non poteram, aſciſco ſocium: huic ambo innixi, committimus nos mari, ſic ut ego dextrum cornu tenerem, ille lævum. Dum ſic jactamur, ſacrificus ille concionator nauticus medium injicit ſe in humeros noſtros; erat autem ingenti corpore.

Excla-

Exclamamus, Quis ille tertius? Is perdet nos omnes. Ille contrà placidè; Sitis, inquit, bono animo; sat spatii est. Deus aderit nobis. *An.* Cur ille tam serò cœpit esse natator? *Ad.* Imò futurus erat in scapha unà cum Dominicano: (nam omnes hoc honoris illi deferebant) sed quamquam erant invicem confessi in navi, tamen obliti nescio quid circumstantiarum, rursus ibi in ora navis confitentur, & alter alteri manum imponit; interim scapha perit: nam hæc mihi narravit Adamus. *An.* Quid actum est de Dominicano? *Ad.* Is, ut idem narrabat, implorata divorum ope, abjectis vestibus, nudum se commisit natationi. *An.* Quos divos invocabat? *Ad.* Dominicum, Thomam, Vincentium, & nescio quem Petrum, sed inprimis fidebat Catharinæ Senensi. *An.* O dementiam! Christus illi non veniebat in mentem? *Ad.* Ita narrabat sacrificus. *An.* Sed perge narrare de te. *Ad.* Dum adhuc volveremur juxta navim, arbitrio fluctuum huc & illuc se volventem, clavus illisus fregit femur ejus qui tenebat lævum cornu. Sic ille revulsus est. Sacrificus precatus illi requiem æternam, successit in locum illius, adhortans me, ut magno animo tuerer cornu meum, ac strenuè moverem pedes. Interim potabamus multum aquæ salsæ. Adeò Neptunus nobis non balneum tantùm salsum, sed potionem etiam salsam temperârat: quamquam sa-

crificus

crificus ei rei monſtraret remedium. *An.* Quod obſecro? *Ad.* Quoties unda nobis occurreret, ille oppoſuit occipitium, ore clauſo. *An.* Strenuum ſenem mihi narras. *Ad.* Ubi jam aliquamdiu ſic natantes nonnihil promoviſſemus, ſacrificus, quoniam erat miræ proceritatis, Bono, inquit, es animo, ſentio vadum. Ego non auſus tantum ſperare felicitatis, Longiùs, inquam, abſumus à litore, quàm ut vadum ſperandum ſit. Imò, inquit, ſentio pedibus terram. Eſt, inquam, fortaſſis è ſcriniis aliquod, quod huc devolvit mare. Imò, inquit, ſcalptu digitorum planè ſentio terram. Cùm adhuc aliquamdiu natâſſemus, ac rurſus ſentiret vadum, Tu fac, inquit, quod tibi videtur factu optimum, ego tibi cedo malum totum, & vado me credo: ſimúlq; exſpectato fluctuum deceſſu, pedibus ſequutus eſt quanto potuit curſu. Rurſus accedentibus undis, utrâque manu complexus utrumque genu, obnitebatur fluctui, occultans ſeſe ſub undis, quemadmodum ſolent mergi & anates: rurſus abeunte fluctu promicabat & currebat. Ego videns hoc illi ſuccedere, ſum imitatus. Stabant in arena, qui porrectis inter ſe prælongis haſtilibus fulciebant ſeſe adverſus impetum undarum, viri robuſti, & fluctibus adſueti, ſic ut ultimus haſtam porrigeret adnatanti. Eâ contactâ, omnibus in litus ſeſe recipientibus, tutò pertrahebatur in ſiccum.

Hâc

Hâc ope ſervati ſunt aliquot. *Ant.* Quot? *Ad.* Septem: verùm ex his duo ſoluti ſunt tempore, admoti igni. *An.* Quot eratis in navi? *Ad.* Quinquaginta octo. *Ant.* O ſævum mare! ſaltem decimis fuiſſet contentum, quæ ſufficiunt ſacerdotibus. Ex tanto numero tam paucos reddidit? *Adol.* Ibi experti ſumus incredibilem gentis humanitatem, omnia nobis mirâ alacritate ſuppeditantis, hoſpitium, ignem, cibum, veſtes, viaticum. *Ant.* Quæ gens erat? *Ad.* Hollandica. *Ant.* Iſtâ nihil humanius, cùm tamen feris nationibus cincta ſit. Non repetes, opinor, poſthac Neptunum. *Ad.* Non, niſi mihi Deus ademerit ſanam mentem. *Ant.* Et ego malim audire tales fabulas, quàm experiri.

## Colloquium XLV.
## CONVIVIUM FABULOSUM.

*Polymythus, Gelaſinus, Eutrapelus, Aſtæus, Philogelos, Lerochares.*

Ut non decet civitatem bene inſtitutam eſſe ſine legibus, ac Principe; ita nec convivium oportet eſſe ſine capite, & ſine lege. *Gel.* Iſthuc verò perplacet, ut unus totius populi nomine reſpondeam. *Polymyth.* Heus puer, adfer huc talos; horum ſuffragiis decernetur regnum, cuicunque faverit Jupiter. Euge, Eutrapelo favit Jupiter. Non fuere ſortes cœcæ; non poterat magis idoneus eligi, etiamſi per ſingulas tribus viritim

ritim collecta fuissent puncta. Vulgò jactatur proverbium, Novus Rex, nova lex. Tu igitur, nove Rex, leges promulga. *Eut.* Quod felix faustúmque sit huic convivio: Primùm edico, ne quis hîc proferto præter ridiculas fabulas. Cui deerit fabula, drachmâ mulctator; ea pecunia in vinum insumitor. Atque in legitimis fabulis etiam extempore conficta habentor, modò servetur decorum. Si nulli defuerit fabula, duo, quorum alter lepidissimam, alter frigidissimam fabulam dixerit, vini pretium pendunto. Convivator à vini sumtu immunis este; ciborum sumtus unus suppeditato: hujus rei si quid inciderit controversiæ, Gelasinus arbiter ac judex esto. Hæc si vos sciveritis, rata sunto. Qui legi parere noluerit, abito; sic tamen ut postridie ad comportationem redire júsque fásque sit. *Gelas.* Legem à Rege latam nostris suffragiis ratam esse volumus. Sed unde proficiscetur fabularum circulus? *Eut.* Unde, nisi à convivatore? *Ast.* Licéne, Rex, dicere tria verba? *Eut.* An tu credis nefastum esse convivium? *Ast.* Iureconsulti negant legem esse, quæ non sit æqua. *Eutr.* Adsentior. *Ast.* At tua lex æquat optimam fabulam pessimæ. *Eutr.* Ubi voluptas quæritur, ibi non minus laudis promeretur qui pessimè dixit, quàm qui optimè, eò quòd non minùs delectet. Velut inter cantores nemo voluptati est, nisi qui aut insigniter bene cecinerit, aut insigni-

ter

ter malè. Nonne plures rident audito cuculo, quàm audità luſciniâ ? Hîc mediocritas laudem non habet. *Aſt.* At, cur plectuntur qui laudem auferunt ? *Eutr.* Ne nimia felicitas provocet illis Nemeſin aliquam, ſi ſimul & laudem auferrent, & immunitatem. *Aſt.* Per Bromium, Minos ipſe nunquam tulit legem æquiorem. *Philog.* Nullam feres legem de modo bibendi ? *Eutr.* Diſpectâ re, ſequar exemplum Ageſilai Lacedæmoniorum Regis. *Phil.* Quid is fecit ? *Eut.* Is, cùm tempore quodam ſympoſiarchus talorum arbitrio delectus eſſet, rogante archimagiro, quantum cuique vini juberet apponi: Si largior, inquit, vini copia parata eſt, dato cuique quantum poposcerit : ſi malignior, omnibus ex æquo diſtribuito. *Ph.* Quid ſibi voluit Lacon ille, càm hæc diceret ? *Eutr.* Hoc agebat, ut neque temulentum, neque rurſum querulum eſſet convivium. *Phil.* Quî ſic ? *Eutr.* Quia ſunt qui gaudent largiùs bibere, ſunt qui gaudent parciùs, reperiuntur & abſtemii, qualis dicitur fuiſſe Romulus. Itaque ſi nulli datur vinum niſi poſcenti, primùm nemo compellitur ad bibendum ; & tamen nihil deſiderant, quibus grata eſt largior potatio. Ita fit ut nemo triſtis ſit in convivio. Rurſus, ſi parcior copia vini diſtribuitur æquis portionibus in ſingulos, ſatis habent qui bibunt moderatiùs : neque quiſquam inæqualitate poterit obmurmurare,

quando

ter malè. Nonne plures rident audito cuculo, quàm auditâ luſciniâ ? Hîc mediocritas laudem non habet. *Aſt.* At, cur plectuntur qui laudem auferunt ? *Eutr.* Ne nimia felicitas provocet illis Nemeſin aliquam, ſi ſimul & laudem auferrent, & immunitatem. *Aſt.* Per Bromium, Minos ipſe nunquam tulit legem æquiorem. *Philog.* Nullam feres legem de modo bibendi ? *Eutr.* Diſpectâ re, ſequar exemplum Ageſilai Lacedæmoniorum Regis. *Phil.* Quid is fecit ? *Eut.* Is, cùm tempore quodam ſympoſiarchus talorum arbitrio delectus eſſet, rogante architriclino, quantum cuique vini juberet apponi: Si largior, inquit, vini copia parata eſt, dato cuique quantum poposcerit : ſi malignior, omnibus ex æquo diſtribuito. *Ph.* Quid ſibi voluit Lacon ille, cùm hæc diceret ? *Eutr.* Hoc agebat, ut neque temulentum, neque rurſum querulum eſſet convivium. *Phil.* Quî ſic ? *Eutr.* Quia ſunt qui gaudent largiùs bibere, ſunt qui gaudent parciùs, reperiuntur & abſtemii, qualis dicitur fuiſſe Romulus. Itaque ſi nulli datur vinum niſi poſcenti, primùm nemo compellitur ad bibendum ; & tamen nihil deſiderant, quibus grata eſt largior potatio. Ita fit ut nemo triſtis ſit in convivio. Rurſus, ſi parcior copia vini diſtribuitur æquis portionibus in ſingulos, ſatis habent qui bibunt moderatiùs : neque quiſquam inæqualitate poteſt obmurmurare,

quando

quando qui largiùs erat hausturus, æquo animo componit sese ad temperantiam. Hoc exemplo si placet, utar. Volumus enim hoc convivium fabulosum esse, non vinosum. *Phil.* Quid igitur bibebat Romulus? *Eutrap.* Idem quod bibunt canes. *Philog.* Annon istud indignum Rege? *Eutr.* Nihilo magis, quàm quòd Reges spirant aere cum canibus communi. Cæterùm Romulum abstemium fuisse, declarat apophthegma non infestiviter ab illo dictum. Etenim cùm illum quidam videns abstinere à vino, dixisset, Vinum vile futurum, si omnes biberent quemadmodum ille: Imò, inquit, tum arbitror fore carissimum, si biberent omnes vinum quemadmodum ego. Bibo enim quemadmodum libet. *Gel.* Utinam hîc adesset noster Joannes, qui nobis Romulum quendam referret! Nam & is abstemius non minùs est, quàm dicitur; alioqui comis ac festivus convivia. *Pol.* Age, si simul potestis, non dicam sorbere, & flare, quod Plautus ait esse difficile, sed edere & audire, quod est perfacile, auspicabor fabulandi munus. Si parùm erit lepida fabula, scitote Batavam esse. Opinor aliquot vestrûm auditum Maeci nomen. *Gel.* Non ita diu est quod periit. *Pol.* Is cùm venisset in civitatem quæ dicitur Leida, ac vellet novus hospes innotescere joco quodam, (nam is erat homini mos) ingressus est officinam calcearii; salutat. Ille, cupiens

cupiens extrudere merces ſuas, rogat num-quid vellet. Macco conjiciente oculos in ocreas ibi penſiles, rogat ſutor num vellet ocreas. Adnuente Macco, quærit aptas tibiis illius; inventas alacriter protulit, &, ut ſolent, inducit illi. Ubi jam Maccus eſſet eleganter ocreatus; Quàm bellè, inquit, congrueret his ocreis par calceorum duplicatis ſoleis. Rogatus an & calceos vellet, adnuit. Reperti ſunt, & additi pedibus. Maccus laudabat ocreas, laudabat calceos. Calcearius tacitè gaudens, ſuccinebat illi laudanti, ſperans precium æquius poſteaquam emtori tantopere placeret merx. Et jam erat nonnulla contracta familiaritas. Hîc Maccus, Dic mihi, inquit, bonâ fide, nunquámne uſu venit tibi, ut, quem ſic ocreis & calceis ad curſum armâſſes, quemadmodum nunc armâſti me, abierit non numerato precio? Nunquam, ille inquit. Atqui ſi fortè, inquit, veniat uſu, quid tu tum faceres? Conſequerer, inquit calcearius, fugientem. Tum Maccus, Serióne iſta dicis, an joco? Planè ſeriò, inquit alter, loquor: & ſeriò facerem. Experiar, ait Maccus: en pro calceis præcurro, tu curſu ſequere. Simúlque dicto conjicit ſe in pedes. Calcearius è veſtigio conſecutus eſt, quantum poterat; clamitans, Tenete furem, tenete furem. Ad hanc vocem cùm cives undiq; proſiliiſſent ex ædibus, hoc commento cohibuit illos Maccus, ne

quis

quis manum injicerer, ridens, ac placido vultu; Ne quis, inquit, remoretur cursum nostrum, certamen est de cupa cerevisiæ. Itaq; jam omnes præbere sese certaminis spectatores. Suspicabantur autem calcearium dolo clamorem eum fingere, ut hâc occasione anteverteret. Tandem calcearius cursu victus, sudans & anhelans domum rediit: Maccus tulit brabeium. *Gel.* Maccus iste effugit quidem calcearium, at non effugit furem. *Pol.* Quamobrem? *Gel.* Quia furem ferebat secum. *Pol.* Fortè tum non erat ad manum pecunia, quàm postea resolvit. *Gel.* Verùm erat actio furti. *Pol.* Ea quidem pòst intentata est, sed magistratibus jam aliquot innotuerat Maccus. *Gel.* Quid attulit Maccus? *Pol.* Quid attulit, rogas, in causa tam vincibili? Magis periclitatus est actor quàm reus. *Gel.* Quî sic? *Pol.* Quia gravabat illum actione calumniæ, & intendebat legem Rhemiam, quæ dictat, ut qui crimen intenderit, quod probare non possit, pœnam ferat quam latrocus erat reus, si convictus fuisset. Negabat se contrectâsse rem alienam invito domino, sed ultro deferente, nec ullam precii mentionem interceßisse. Sed provocâsse calcearium ad certamen cursûs: illum accepisse conditionem; nec habere quod queratur, cùm esset cursu superatus. *Gel.* Hæc actio non multùm abest ab umbra asini. Quid tandem? *Pol.* Ubi satis risum est, quidam

dam è judicibus vocavit Maccum ad cœnam, & numeravit calceario precium. Simile quiddam accidit Daventriæ, me puero. Erat tempus illud quo regnant piſcatores, frigent lanii. Quidam adſtabat ad feneſtram fructuariæ, ſive pomariæ, fœminæ vehementer obeſæ, oculis intentis in ea quæ propoſita venum erant. Illa ex more invitavit, ſi quid vellet: Et cùm videret hominem intentum ficubus; Vis, ait, ficus? ſunt perquam elegantes. Cùm ille adnuiſſet, rogat quot libras? Adnuenti, tantum ficuum effudit in gremium. Dum illa reponit lances, ille ſe ſubducit, non curſu, ſed placidé. Ubi prodiſſet acceptura pecuniam, vidit emtorem abire, inſequitur majore voce quàm curſu. Ille diſſimulans pergit quò cœpit ire. Tandem multis ad fœminæ vocem concurrentibus, teſtitit. Ibi in populi corona agitur cauſa; riſus oboritur: emtor negabat ſe emiſſe, ſed quòd ultro delatum fuiſſet accepiſſe: ſi vellet experiri apud judices, ſe comparaturum. *Gel.* Age, narrabo fabulam, tuæ non admodum diſſimilem, fortaſſe nec inferiorem, niſi quòd hæc non habeat autorem perinde celebrem atque eſt Maccus. Pythagoras totum mercatum dividebat in tria hominum genera: quorum alii prodîſſent, ut venderent; alii ut emerent; hoc utrumque genus aiebat ſolicitum eſſe, proinde nec felix: alios non ob aliud venire ad forum, quàm ut ſpectent quid

quid illic inferatur, aut quid agatur; hos solos esse felices, quòd vacui curis gratuitâ voluptate fruerentur. Atque ad hunc modum dicebat Philosophum versari in hoc mundo, quemadmodum illi versarentur in mercatu. Verùm in nostris emporiis quartum hominum genus obambulare solet, qui nec emunt, nec vendunt, nec ociosi contemplantur, sed observant solicitè si quid possint involare. Atque in hoc genere reperiuntur quidam mirè dexteri, dicas esse Mercurio favente natos. Convivator dedit fabulam cum coronide; ego dabo cum proœmio. Nunc accipite quod nuper accidit Antverpiæ. Sacrificus quidam receperat illic mediocrem summam pecuniæ, sed argenteæ: id impostor quidam animadverterat; adiit sacrificum, qui gestabat in zona crumenam nummis turgidam; salutat civiliter; narrat, sibi datum negotium à suis, ut vici sui parocho mercaretur novum pallium sacrum, quæ summa vestis est sacerdoti rem divinam peragenti: Rogat hac in re commodaret sibi tantillum operæ, ut secum iret ad eos qui vendunt hujusmodi pallia, quò videlicet ex modo corporis ipsius sumeret majus aut minus; nam sibi videri staturam ipsius cum Parochi magnitudine vehementer congruere. Hoc officium, cùm leve videretur, facilè pollicitus est sacrificus. Adeunt ædes cujusdam; prolatum est pallium; sacrificus induit; venditor affirmat mirè congruere,

congruere. Impoſtor cùm nuncà fronte, nuncà tergo contemplatus eſſet ſacrificum, ſatis probavit pallium; ſed cauſatus eſt à fronte brevius quàm par eſſet. Ibi venditor, ne non procederet contractus, negat eſſe pallii vitium, ſed crumenam turgidam efficere ut tâ parte offenderet brevitas. Quid multa? Sacrificus deponit crumenam; denuo contemplatur. Ibi impoſtor averſo ſacrifico crumenam arripit, ac ſemet in pedes conjicit. Sacerdos curſu inſequitur ut erat palliatus, & ſacrificum venditor. Sacrificus clamat, Tenete furem: venditor clamat, Tenete ſacrificum: impoſtor clamat, Cohibete ſacrificum furentem: & creditum eſt, cùm viderent illum ſic ornatum in publico currere. Itaque dum alter alteri in mora eſt, impoſtor effugit. *Eut.* Dignus qui non ſimplici ſuſpendio pereat, tantus artifex. *Gel.* Niſi jam pendet. *Eut.* Utinam non ſolus, ſed unà cum illo, qui talibus portentis favent in perniciem Reipublicæ. *G.* Non favent gratis. Catena eſt quæ demiſſa in terras pertingit ad cœlum. *Eutr.* Ad fabulas redeundum. *Aſt.* Ad te redit ordo, ſi fas eſt Regem in ordinem cogere. *Eut.* Non cogar; imò volens veniam in ordinem; alioqui tyrannus eſſem, non Rex, ſi leges, quas aliis præſcribo, recuſem. *Aſt.* Verumtamen aiunt Principem eſſe ſupra leges. *Eut.* Iſthuc non omnino falsò

dictum est, si sic accipias superiorem legibus, quod alii coacti utcunque servant, illum suâpte sponte multò cumulatiùs præstare. Quod enim animus est corpori, hoc est bonus Princeps Reipublicæ. Sed ad fabulam; & arbitror convenire, ut Rex regiam fabulam adferam. Ludovicus Galliarum Rex, ejus nominis undecimus, cùm rebus domi turbatis, peregrinaretur apud Burgundiones, occasione venationis nactus est familiaritatem cum Conone quodam, homine rustico, sed animi simplicis ac sinceri. Nam hoc genus hominibus delectantur Monarchæ. Ad hujus ædes frequenter diverterat Rex ex venatu; &, ut plebeiis rebus nonnunquam delectantur magni Principes, apud eum magna cum voluptate vescebatur rapis. Mox ubi Ludovicus restitutus, jam rerum potiretur apud Gallos, submonuit Cononem uxor, ut Regem veteris hospitii commone-faceret, adiret illum, & rapas aliquot insignes illi dono adferret. Tergiversatus est Conon, se lusurum operam: Principes enim non meminisse talium officiorum. Sed vicit uxor. Deligit Conon rapas aliquot insignes; accingitur itineri. Verùm ipse per viam captus illecebrâ cibi, paulatim devoravit omnes, unâ duntaxat exceptâ insigniter magnâ. Ubi Conon prorepsisset in aulam, quâ Rex erat iturus, statim agnitus est à Rege, & accersitus. Ille magna cum alacritate

critate detulit munus ; Rex majore cum alacritate accepit, mandans cuidam è proximis, ut diligenter reponeretur inter ea quæ haberet chariſſima. Cononem jubet ſecum prandere: à prandio egit Cononi gratias ; & cupienti repetere rus ſuum , juſſit pro rapa numerari mille coronatos aureos. Hujus rei fama cùm, ut fit, per omne Regis famulitium eſſet pervagata , quidam ex aulicis dono dedit Regi equum non inelegantem. Rex intelligens illum, provocatum benignitate quam præſtiterat Cononi, captare prædam, vultu majorem in modum alacri accepit munus ; & convocatis primoribus conſultare cœpit, quo munere penſaret equum tam bellum, támque precioſum. Interim, qui donârat equum, ſpes opimas animo concipiebat, ſic cogitans : Si ſic penſavit rapam donatam à ruſtico, quantò munificentiùs penſaturus eſt equum oblatum ab aulico ? Cùm Regi veluti de re magna alius aliud reſponderet, diúque vanâ ſpe lactatus eſſet captator ; tandem Rex : Venit, inquit, in mentem, quod illi donem : & accerſito ex proceribus quopiam, dicit in aurem, ut adferat id quod reperiret in cubiculo ( ſimúlque locum deſignat ) ſerico diligenter obvolutum. Adfertur rapa : eam, ut erat obvoluta, Rex ſuâ manu donat aulico , addens, ſibi videri bene penſatum equum cimelio , quod ſibi conſtitiſſet mille coronatis. Digreſſus

aulicus dum tollit linteum, pro theſauro reperit, non carbones, quod aiunt, ſed rapam jam ſubatidam. Ita captator ille captus, riſui fuit omnibus. *Aſt.* Jam ſi permittis, Rex, ut plebeius loquar regalia, referam, quod ex tua fabula venit in mentem de eodem Ludovico. Nam ut anſa anſam, ita fabula trahit fabulam. Quidam famulus, cùm vidiſſet pediculum repentem in veſte Regia, flexis genibus, ac ſublatâ manu, ſignificat ſe neſcio quid officii præſtare velle. Ludovico præbente ſe, ſuſtulit pediculum, & clàm abjecit. Rogante Rege quid eſſet, puduit fateri. Cùm inſtaret Rex, faſſus eſt fuiſſe pediculum. Lætum, inquit, omen eſt; declarat enim me eſſe hominem, quòd hoc genus vermiculorum peculiariter infeſtet hominem, præſertim in adoleſcentia. Juſſitq; pro officio numerari coronatos quadraginta. Poſt dies aliquammultos, alter quidam, qui viderat illi feliciter ceſſiſſe tam humile officium, nec animadvertens, plurimum intereſſe, ex animo facias quid, an arte; ſimili geſtu aggreſſus eſt Regem, ac rurſus illo ſe prebente, ſimulabat ſe tollere quiddam è veſte regia, quod mox abjiceret. Cùm urgeret Rex tergiverſantem, ut diceret quid eſſet, mirè ſimulato pudore, tandem reſpondit eſſe pulicem. Rex intellecto fuco: Quid, inquit, an tu me facies canem? Juſſit tolli hominem, ac pro captatis quadraginta

draginta coronatis, infligi quadraginta plagas. *Phil* Non turum eſt, ut audio, cum Regibus facetiis ludere. Quemadmodum enim leones ſe nonnunquam placidè præbent fricanti, iidem, ubi lubitum eſt, leones ſunt, & jacet colluſor: itidem favent Principes. Sed lupus in fabula. *Pol.* Haud lævum omen adfert Lerochares. *Ler.* Quid actum eſt inter tam lepidos congerrones? *Pol.* Quid aliud? Certatum eſt fabulis, donec lupus intervenires. *Ler.* Huc igitur adſum, ut perficiam fabulam. Volo vos omnes cras apud me prandere prandium Platonicum. *Gel.* Niſi Scythicum promittis convivium. *Ler.* Res declarabit. Niſi fatebimini, hoc fuiſſe vobis fabuloſo convivio jucundius, non recuſo dare pœnas in cœna. Nihil jucundius, quàm cùm ſeriò tractantur nugæ.

## Colloquium XLVI.

## CONVIVIUM SOBRIUM.

*Albertus, Bartholinus, Carolus, Dionyſius, Æmilius, Franciſcus, Gerardus, Hieronymus, Jacobus, Laurentius.*

Vidiſtíne unquam hoc horto quidquam amœnius? *B.* Vix opinor in inſulis fortunatis eſſe quidquam jucundius. *C.* Planè mihi videor videre Paradiſum, cui cuſtodem

cultorémque Deus præfecerat Adam. *D.* Hîc vel Nestor, vel Priamus posset repubescere. *F.* Imò vel mortuus reviviscere. *G.* Adderem lubens, si quid possem tuæ hyperbolæ. *H.* Profectò miris modis arridենt omnia. *J.* Oportet hunc hortum aliquâ compotatiunculâ dedicare. *L.* Rectè monet noster Jacobus. *A.* Talibus mysteriis jam olim initiatus est hic locus. Verùm scitote, nihil hîc esse unde vobis merendam exhibeam: nisi placet vini expers compotatio, lactucas apponam absque sale, aceto, & oleo; vini guttula non est, nisi quod gignit hic puteus. Ne panis quidem adest, aut poculum; & ea est anni pars, quæ magis pascit oculos quàm ventrem. *B.* Sed habes tabulas lusorias, habes sphæras; lusu dicabimus hortum, si minùs licet convivio. *A.* Quoniam tam belli homunculi convenimus, habeo quiddam quod vel lusu vel convivium possis dicere, meâ sententiâ, multo dignius ad hunc locum initiandum. *C.* Quidnam? *A.* Suum quisque symbolum conferat; non deerit lautum, nec minùs suave convivium. *Æ.* Quid adferemus, qui vacui huc venerimus? *A.* Vacui, qui tantum opum circumferatis in pectore? *F.* Exspectamus quid velis. *A.* Proferat in medium quisque quod per hanc hebdomadam legit elegantissimum. *G.* Rectè mones: nihil vel hujusmodi conviviis, vel te convivatore, vel hoc loco

loco dignius. Te hujus consilii ducem sequemur omnes. *A.* Nihil recuso, si vobis ita videtur. Hodie vehementer delectavit animum meum in homine non Christiano tam præclara sententia. Phocion enim, quo vix alius apud Athenienses fuit vir probior, publicæque utilitatis studiosior, cùm per invidiam damnatus, esset bibiturus cicutam, rogatus ab amicis, quid vellet etiamnum mandari filiis suis, Ne hujus, inquit, injuriæ velint unquam meminisse. *B.* Tam insignis patientiæ exemplum vix hodie repetias inter Dominicanos & Franciscanos Monachos. Itaque simile referam, quando par non possum. Aristides Phocioni similimus erat, moribus incorruptissimis, adeò ut vulgus illi Justi tribueret cognomen. Ob hujus cognominis invidiam, vir optimè de Republica meritus, ostracismo populi jussus est vertere solum. Posteaquam intellexerat populum non aliâ re offensum, quàm Justi cognomento, quum alioqui rem semper expertus esset sibi salutarem, paruit æquo animo. In exilio rogatus ab amicis, quid precaretur ingratissimæ civitati, Nihil aliud, inquit, nisi tantam rerum prosperitatem, ut illis nunquam in mentem veniat Aristidis. *C.* Mirum si Christianos non pudet sui, ad quamvis levem injuriam excandescentes, ac vindictam per fas nefásque molientes. Tota Socratis vita nihil aliud

mihi videtur, quàm temperantiæ & tolerantiæ exemplum. Sed ne planè sim asymbolus, unum referam, quod mihi præ cæteris arrisit. Eunti publicâ viâ improbus quispiam. Socrati colaphum impegit. Cùm id tacitus ferret Socrates, amici quidem hortati sunt ad ultionem. At ille; Quid percussori, inquit, faciam? Voca, inquiunt, in jus. Ridiculum! (inquit) si me asinus calcibus percussisset, num vobis autoribus asinum in jus trahem? Significans, improbum scurram nihilo potiorem asino; & infimi animi esse, non posse ferre contumeliam ab homine vecordi, quam ferret ab animali bruto. *D.* Pauciora sunt in Romanis Annalibus exempla moderationis, nec ea perinde insignia. Neque enim, opinor, magnam habere laudem tolerantiæ, si quis parcat devictis, & debellet superbos. Non arbitror tamen indignum memoratu, quòd Cato senior, quum Lentulus quidam in os illi sputum & oris purulentiam injecisset, nihil aliud responderit quàm, Posthac habeo quod illis respondeam, qui negant tibi esse os. Os autem Latinis habere negantur, quos nihil pudet. Itaq; jocus est ex ambiguo. *Æ.* Aliis arrident alia; mihi inter Diogenis dicta, præclara quidem omnia, nihil magis adblanditur, quàm quòd

roganti

roganti cuidam, quo pacto maximè posset ulcisci inimicum, Si te ipsum, inquit, quammaxime probum & honestum virum præstiteris. *F.* Apud Plutarchum Phocion, cùm reprehenderetur, quòd homini illaudato improbóque patrocinatus esset in judicio, non minùs festiviter, Quid ni, inquit, quando nemo probus indiget tali patrocinio? *G.* Et istud bonitatis exemplum est, ad exemplum æterni Patris, & probis, & improbis, quantum licet, benefacere; qui solem suum oriri jubet, non solùm piis, sed etiam impiis. Verùm admirabilius forsitan erit in Rege moderationis exemplum. Cùm Demochares, Demosthenis nepos, Athenienſium nomine legatione fungeretur apud Philippum Macedonum Regem, & impetratis quæ volebat, à Rege dimitteretur, humaniter interrogante, si quid præterea vellet; Ut teipsum suspendas, inquit Democharcs. Vox impotens odium arguebat; & Rex erat, & bene meritus, in quem jaciebatur convicium; nec tamen incanduit; tantùm ad collegas conversus, Vos, inquit, hoc renunciate populo Athenienſi, quò re cognitâ judicet utrum nostrûm existimet præstantiorem, me qui hæc patienter audierim, an istum qui hæc dixit. Ubi nunc sunt qui se Christianos profitentur, & ob verbum inter pocula dictum, atrocia sæpe bella concitant? *H.* Magnos impetus habet gloriæ sitis,

multósq; transversos agit hic affectus. Ex eorum numero quidam Socratem interrogabat, quâ viâ posset sibi compendio honestissimam comparare famam: Si talem, inquit, præstiteris teipsum, qualis haberi vis. *F.* Profectò non video quid dici possit vel brevius, vel absolutius. Fama non est affectanda, sed ea virtutem ultro comitatur, quemadmodum improbitatem infamia. Vos admiramini viros; mihi puella Lacæna placuit, quæ cùm in auctione venderetur, licitator quidam adiit illam, Quid? (inquiens) num proba futura es si te mercatus fuero? Etiam, inquit illa, si tu me non fueris mercatus. Indicans, se non in cujusquam gratiam probitatem servare, sed suopte ingenio virtutem ipsius gratiâ sectari, quòd virtus ipsa sui pretium esset. *L.* Masculam sanè vocem edidit puella. Cæterùm insigne mihi videtur exemplum adversus fortunam quamlibet blandientem constantiæ, quòd cùm Philippo Macedonum Regi tres eximiæ felicitates eodem die renunciarentur, quòd in Olympiis vicisset, quòd dux exercitûs Parmenion prælio superâsset Dardanos, quòd uxor Olympias ipsi filium esset enixa, sublatis in cœlum manibus, precatus est, ut Deus tantam prosperitatem pateretur levi quopiam infortunio expiari. *A.* Hodie nulla est tanta prosperitas, cujus invidiam metuat quisquam; sed perinde jactant, si quid

quid ſucceſſerit, quaſi vel mortua vel ſurda eſſet Nemeſis. Hæc merenda ſi vobis placet, hic hortulus eam vobis, quoties volueritis, exhibebit, quem hoc colloquio non minùs jucundo, quàm frugifero dicâſtis. *B.* Profectò nec Apitius potuiſſet diſcum ſuaviorem apponere. Quare nos exſpectabis frequenter, modò boni conſulas, quòd nunc attulimus, non quæ digna erant tuis auribus, ſed quæ non præmeditatis venerunt in mentem. Meditati lautiora proferemus. *A.* Hoc eritis gratiores.

## Colloquium XLVII.

## DOMUS.

*Jocundus, Leo, Vitruvius inſularius.*

Eſt tibi notitia cum inſulario amplæ atque elegantis hujus inſulæ? *L.* Inprimis; & eſt aſſeclæ patris mei admodum propinquus. *J.* Rogemus eum, ut nobis eam omnem patefaciat: nam ferunt nihil fieri poſſe amœnius, nec delectabilius. *L.* Adeamus, pulſemus inexſpectati. *Atat. V.* Quis iſthic eſt? *L.* Ego ſum. *V.* O ſalve multùm puſio dulciſſime: unde tu nunc? *L.* E ludo. *V.* Quâ igitur gratiâ huc? *L.* Sodalis hic meus & ego vehementer cupimus has ædes viſere. *V.* Nunquam ſpectâſtis? *L.* Non totas. *V.* Ingredimini. Heus puer! adfer mihi claves oſtiorum domûs. Primùm,

mùm, Hoc est vestibulum; patet semper interdiu, absque janitore, quòd nec intra domum est, nec tamen extra; noctu clauditur. Contemplamini portam magnificam: valvas è robore munitas ære: Utrumq; limen, & infernum, & supernum ex marmore Alabastrite. Olim Hercules solebat præfigi ostio domûs: hic est CHRISTUS, verus DEUS. Nam Hercules erat crudelis homo, & maleficus: hoc custode nihil mali ingredietur in ædes. *L.* Cur tam multi ingrediuntur mali? *V.* Etiamsi mali ingrediuntur, nihil tamen inferunt mali. *L.* Non utimini cardinibus? *V.* Desiit esse mos apud quasdam nationes. Sequitur ostium atrii, quod atriensis servus custodit, præcipuus in familiâ, ut mediastinus extremus. Tum atrium spatiosum ad deambulandum; multæ atq; variæ in eo picturæ. *F.* Quænam, quæso? *V.* Illa est cœli facies ichnographica; illa terræ & maris orthographica; illa orbis nuper Hispanicis navigationibus aperti sciagraphica. In tabella illa est Lucretia se interficiens. *F.* Quid, quæso, dicit? nam moriens, ut videtur, loquitur. *V.* Multæ hoc mirantur. *F.* Intelligo quid dicat. *L.* Quid sibi vult tabella ista tam variè delineata? *V.* Ea est graphis hujus ædificii: reduc à tabula hac velum. *F.* Quid hoc est rei? Vetulus fugens papillam fœminæ? *V.* Non legisti exemplum hoc apud Valerium Maximum, titulo *de*

*Pietate?*

*Pietate?* *F.* Legi. Quid dicit illa? *V.* Nondum tantum rependo, quantum accepi. *F.* Quid ille? *V.* Juvat genuiſſe. Adſcendamus has ſcalas cochlides. Singuli gradus lati, ut cernitis, ex ſingulis ſunt ſaxis marmoris Baſaltis. Hæc prima contignatio, habitatio eſt Domini. Cœnaculum ſuperius hoſpitale eſt: non quòd herus meus faciat cœnaculariam, (quod abſit) ſed paratum eſt hoſpitibus amicis, ornatum, ſemper inſtructum, & vacuum, niſi cùm adſunt hoſpites. Hoc eſt triclinium. *F.* Bone Chriſte! Quæ feneſtræ ſpeculares! quàm ſcitè depictæ picturâ ſciagraphicâ! qui colores! quàm vividi! quæ tabulæ! quæ ſigna! quæ coaſſatio! *V.* Signa ſunt, Primum illud Apoſtoli Pauli. *L.* Quod eſt lemma? *V.* *O quantum tibi nos debemus, tu Chriſto!* *F.* Quid ipſe loquitur? *V.* *Gratiâ Dei ſum:* &, *gratia Dei in me vacua non fuit.* Alterum illud eſt Mutii Scævolæ. *F.* Nec is eſt mutus, etiamſi Mutius: quid mutit? *V.* *Non incendit,* inquit, *me hic ignis, quoniam alius major ardet intus.* Tertium ſignum eſt Helenæ: Titulus eſt; *Utinam fuiſſem ſemper talis!* *minùs nocuiſſem.* *F.* Quid ſignat cœcus ille ſeniculus recalvaſter, indice ad Helenam verſo? *V.* Homerus eſt; dicit Helenæ, *Quæ malè tu feciſti, ego bene cantavi.* *F.* En, lacunar eſt deauratum admiſtis margaritis. *V.* Margaritæ quidem ſunt, ſed precii exigui. *F.* Quò ſpectant feneſtræ?

feneſtræ? *V.* Hæ in hortos, illa in impluvium. Hæc eſt diæta, ſeu æſtiva cœnatio. En vobis cubiculum, & conclave. Cubiculum ornatum eſt tapetibus, pavimento contabulato ſtoriis tecto, & imaginibus aliquot Divæ Virginis, Chriſti Servatoris: illæ alteræ ſunt Narciſſi, Euryali, Adonidis, Polyxenæ, qui dicuntur fuiſſe formoſiſſimi. *F.* Quid ſcriptum eſt in limine ſuperiore oſtii? *V. Recipe te in portum tranquillitatis adfectuum.* *F.* Quid in interiore poſte forium? *V. Ne induxeris in portum tempeſtatem.* In conclavi illo clauſo, adſervantur ferè prima utenſilia. Hoc alterum eſt hybernum; vides omnia obſcuriora & magis tecta: tum hypocauſtum. *F.* Amplius, meâ ſententiâ, quàm pro cœnatione. *V.* Non animadvertis, etiam cubiculum interius eodem vaporario excalfieri? *F.* Dicunt cubicula eſſe calidiora, ubi nullum ſit fumale. *V.* Non ſolent eſſe in æſtuariis. *F.* Quæ eſt illa camera tam eleganter fornicata? *V.* Sacellum, ubi agitur res divina. *F.* Ubi latrina? *V.* Superne in granario habemus foricam, ne oleat: in cubiculis enim ſcaphiis utitur herus meus, & trullis, & matulis. *F.* Turriculæ iſtæ, & pyramides, & pilæ, & indices ventorum; omnia quâ venuſtate! quàm admirabili arte! *V.* Deſcendamus. Hæc eſt culina; hoc promtuarium; hæc cella vinaria; illa penuaria, in qua mirè infeſtamur rapacitate furum.

rum. *J.* Quâ tandem eſt huc furibus ingreſſus? Omnia video probè clauſa, & feneſtra cum clathris ferreis. *V.* Per rimulas & foramina. *L.* Mures ergo ſunt, & muſtelæ, quæ vobis univerſum penum diripiunt. *V.* Illud eſt poſticum domûs, clauſum ſemper duabus ſeris, adfixâ, & penſili, niſi cùm adeſt Dominus. *L.* Cur feneſtræ hæ non habent cancellos? *V.* Quoniam rarò aperiuntur; ſpectant enim ad anguſtum angiportum, ut cernis, & obſcurum: rarò quiſquam hîc adſidet, aut profert caput; ideo & clathrare eas ſtatuit herus meus. *L.* Quibus clathris? *V.* Fortaſſe ligneis; nondum eſt certum: interea repagulum hoc ſufficit. *J.* Quàm amplæ columnæ, & porticus plena majeſtatis! Vide ut Atlantes illi, & Caryatides ſpecimen præ ſe ferunt enitentium, ut fulciant ædificium ne ruat, cùm nihil agant. *L.* Tales ſunt multi, qui magna præſtare videntur, cùm ociosi & ſegnes vivant; fuci, fruentes alienis laboribus. Sed quænam eſt domus illa inferior, huic adjuncta, tam malè materiata & rimoſa? *V.* Eſt vetus ædificium, quod quia ducebat rimas, & vitium faciebat ingens, herus meus decrevit hanc alteram à fundamentis erigere: illa nunc nidulatio eſt avium, & habitatio murium; ſed brevi eam demoliemur.

Collo-

## Colloquium XLVIII.

## COENACULUM.

*Ariſtippus, Lurco.*

Quid tu tam ſerò ſurgis, & quidem ſemiſomnis? *L.* Mirum eſt me eſſe toto hoc die expertectum, adeò herì edimus & bibimus. *A.* Imò, ut apparet, devorâſti, ingurgitâſti, obruiſti te epulis, & vino: ſed ubinam onerâſti celocem? *L.* Apud Scopam in convivio. *A.* Quin potiùs more Græco compotationem vocâris, quàm convivium? *L.* Bucca buccam impellebat, intrituræ condimenta vellicabant, atq; inſtigabant deſidem ſtomachum, & appetentiam non patiebantur delaſſari. *A.* Refer, quæſo, ordine omnia, ut vel auditione ipſâ videar mihi intereſſe, & quaſi vobiſcum potare: ut ille qui in caupona Hiſpaniæ duos grandes panes comedit ad nidorem perdicis aſſæ, quo nidore utebatur pro obſonio. *L.* Quis enarrârit omnia? Majus negotium id fuerit, quàm vel emiſſe, vel apparâſſe, vel (quod omnia ſuperat) comediſſe. *A.* Adſideamus in hoc ſaliceto, ad crepidinem hujus ripulæ; &, quando ſumus ocioſi, pro collocutione aliis de rebus utamur hâc ipsâ: gramen erit nobis vice pulvinorum; innitere hâc ulmo. *L.* In herba? Annon humor nocebit? *A.* Quid? Inſanis: humor in ortu caniculæ?

*L.* Antea

*L.* Antea recusabam, nunc animus mihi prurit recensere tibi plusquam postulas. De convivio solùm quærebas; accipies etiam de Domino, & de Triclinio seu cœnaculo. Rogabas ut loquerer; efficiam ut mox paulo silentium roges, indicas, imperes: ut Arabicus tibicen, qui ad canendum obolo conducitur, ad tacendum tribus. *A.* Tu verò quantum libuerit, non eris molestus; quandoquidem in opaco loco consedimus, & orationem tuam carduelis illa adjuvabit, vel ad harmoniam moderabitur, ut orationem Gracchi servus fistulator. *L.* Quid istuc rei est? *A.* Postquam tu feceris narrandi finem accipies de Graccho, & graculis, & de Græculis. *L.* Deambulabamus fortè transverso foro ego & Thrasybulus, nacti pluisculum ocii quàm solemus; adjunxit se nobis Scopas. Is à nobis, post primas salutationes & blandum congressum, cœpit vehementer contendere, ut postero die, qui hesternus fuit, apud se essemus. Excusare nos primùm, alius alia; ego autem vadimonium grave, & apud prætorem valde irritabilem. Sed ille, ut libenter ostentat suam magnificentiam, quasi de capite ageretur, orsus est accuratum sermonem. Quid multa? Addiximus, ne molestus esse pergeret. *A.* Scin' quænam fuerit causa convivii? *L.* Quæ tandem, quæso? *A.* Est quidem ipse homo locuples, ornatus argento, veste, supellectile: Sed emerat pateras seu phialas argenteas

argenteas deauratas, & calices ſex. Periiſſet precium, ni aliquos invitâſſet quibus oſtentaret: & alioqui eum ille exiſtimat eſſe divitiarum fructum; habétque uxorem, à qua exſtimulatur ad profuſionem, quam illa magnificentiam nuncupat. *L.* Heri ergo ſub meridiem convenimus in ejus cœnaculum. *A.* Quale erat cœnaculum? *L.* Subdiale in opaco frigore: omnia ſanè apparata, ornata, exculta; nihil deerat ad elegantiam, ſplendorem, & lautitias. Planè primo ingreſſu exhilarati ſunt omnium oculi & animi, aſſpectu illo pulcerrimo atque amœniſſimo. Erat abacus ingens, plenus bonis vaſis materiæ omnis, ex auro, argento, cryſtallo, vitro, ebore, murrha; alia etiam vilioris materiæ, ſtannea, cornea, oſſea, lignea, teſtacea, ſeu figlina, in quibus ars commendabat vilitatem ſubſtantiæ; (nam erant toreumata permulta, ſive opera tornata) omnia expolita, exterſa; fulgor penè perſtringebat oculos. Illic vidiſſes duo magna malluvia argentea, oris deauratis: umbilicus erat aureus, cum inſignibus illius. Habebat utrumque malluvium ſuum gutturnium, quorum epiſtomium (ſeu obturaculum) erat deauratum: ſtabat & alterum aquiminarium vitreum, fiſtuſâ deauratâ cum pollubro figlino, operis Malacenſis, probè ſandaracato. Phialæ omnis generis, & argenteæ duæ ad vinum generoſiſſimum. *A.* Ad uſum meum ampullas

ampullas vitreas malim, aut etiam teſtaceas, ex iis quæ lapideæ dicuntur. *L.* Quid facias? Ita eſt hominum ingenium. Non tam in his quæritur commoditas, quàm opinio divitiarum. *A.* Iſti opulentiſſimi ſæpius videntur aliis tales, ſibi inopes; ideo nullus finis proferendi, & ingerendi oculis, iis præſertim qui nullam habent aliam bonam artem, quâ fidant. Sed perge. *L.* Erat cymatium (ſeu margo) abaci tapete villoſo tectum, ex Turcia uſque allato: poſitæ erant duæ menſulæ procul ab abaco, cum quadris & orbibus argenteis: unicuique additum erat ſuum ſalinum, cultellus, panis, & mantile: ſub abaco refrigeratorium, & œnophora grandia ſeu cirneæ. Tum ſedilia varia, ſellæ, biſellia, ſubſellia, & dominæ ſella plicatilis parata, viſendi operis, cum pulvino ſerico, & ſubpedaneo. *A.* Pone tandem menſam, & explica mappam: nam mihi inteſtina præ fame rugiunt. *L.* Erat menſa cibilla ingens, ſegmentata, operis teſſellati antiqui quæ fuerat Principis Dicæarchi. *A.* O menſa antiqua, quàm diſpari domino! *L.* Illam ipſe emit in auctione ſatis magna, ſolùm quòd illius fuiſſet; ut aliquid haberet Principis. Datur aqua lavandis manibus; primùm magnis recuſationibus, & invitationibus mutuis, & cedendo invicem. *A.* Idem factum eſt in conſeſſu, cùm quiſque ſe inferiorem altero faceret, illum extolleret, «comitate arrogantiſſimâ;

tissimâ; cùm unusquisque potiorem se reliquis omnibus censeret. *L.* Sed dominus jure suo distribuit loca: consecrata est mensa à puerulo breviter & perfunctoriè, & non sine rhythmo: *Quod appositum est, & apponetur, Christus benedicere dignetur.* Explicat quisque chiromactrum seu mantile, & injicit super humerum sinistrum; hinc cultello repurgat panem, nam decrustatus erat appositus. *A.* Sedebatis commodè? *L.* Nunquam commodiùs. *A.* Non potuistis malè prandere; nam reliqua sat scio suppeditatum iri redundanter, siqua modò fuerant in macello. *L.* Nusquam verius, *Copiáque ipsa nocet.* Adstat mensæ structor, cultellos & furcillas componens; ingreditur magnâ pompâ archiriclinus, seu structor, cum longo agmine puerorum, & exoletorum, qui gestabant fercula primi missûs.

## Colloquium XLIX.
## CULINA.

*Lucullus, Apitius, Pistillarius, Abligurinus.*

Es tu popino? *Ap.* Sum. *L.* Ubinam agis? *Ap.* In popina galli gallinacei: Num eges mei? *L.* Etiam, ad nuptias. *Ap.* Sine me domum transcurrere, ut præcipiam uxori quemadmodum sint tractandi ganeones, quos scio non solere in hac civitate deesse, tum etjam adventores. *L.* Audin' tu? Reperies me in vico lapideo, in ædibus sutorum. *Ap.* Con-

Continuò adero. *L.* Bene eſt, ingredere culinam. *Ap.* Heus Piſtillarie, & tu Abligurine! Ignem in lare exſtruite ſub fumali grandibus lignis, &, quantum fieri poterit, coctis. *P.* Putas te eſſe Romæ? Hîc tabernas coctilitias non habemus, ex quibus ligna coctilia promuntur: habebis bene arida. *Ap.* Ni ita ſit, tu, Abligurine, ſuffitor perdes oculos ſufflando. *Ab.* Imò bibam largiùs; Væ vino. *Ap.* Væ aquæ; nam vinum hodie non attinges, ſi ſim ſanus: nolo mihi evertas ollas, & auxillas confringas, & cibos corrumpas. *Ab.* Non vult ardere hic ignis. *Ap.* Injice faſciculum aliquem ſulfuratorum, & fomitem, fruſtula aliquot cum his aſſulis. *Ab.* Exſtinctus eſt prorſus. *Ap.* Tranſturre ædes proximas cum batillo, & adfer nobis torrem aliquem prægrandem, & prunas bene incenſas. *Ab.* Metallarius eſt illic dominus, nec ſinet carbonem unum ſub fornacibus ſibi detrahi, citiùs oculum. *Ab.* Non eſt metallarius, ſed metallicida: ito ergo ad furnum. Quid adfers? Titionem magìs quàm torrem. Inde præfurnio aliquot ligna: Tu furcillâ hâc move incenſa ligna, & agita fomitem, ut ignem concipiat. Sume forcipem, aſine. *Ab.* Quid rei eſt iſthuc verbum? *Ap.* Forceps ignaria, pruniceps: Fac finem altercandi; volo carbones aliquot, aut ceſpites accendas mihi in hoc foco, ad teſtuacia lentè coquenda. Suſſpende ahe-

num

num ad ignem è catena, ne desit aqua calida: tum in cacabum injice armum illum vervecinæ cum bubula salita: cucumam igni admove cum vitulina, & agninaj in chytropode elixabimus oryzam. Cedò craticulam; elue alveum hunc; hanc mactram amove. *Ab.* Quid pulli? *Ap.* Coquantur in olla ærea, quæ ii anno est illita, quò sapor sit gratior, impositò operculo: sed non tam maturè veru proferes, sed sub nonam demum, ac tum subde sartaginem. Lupum hunc fines in aqua lusitare paulisper, tum exenterabis. *Ab.* Carnes & pisces in eadem mensa? *Ap.* Maximè, more Germanico. *Ab.* Atqui hoc non placet medicis. *Ap.* Medicinæ non placet; medicis placet. Ego stipitem hunc coquum tantùm esse existimabam; medicus etiam est. Quis te detrusit in culinam, cùm sis tam saperda? *Ab.* Adversa mea sors. *Ap.* Imò, quod manifestum est, segnities tua, & socordia, & gula, & ingluvies, & animus degener, ac abjectus: ideo ambulas nudis pedibus, semiamictus veste obsoletâ, & natibus breviore. *Ab.* Quid tibi cum mea paupertate? *Ap.* Nihil omnino, nec velim esse. Sed ad rem, ne præter rem plura quàm oportet. Satísne sunt hæc jussa supérque infixa & inculcata? Scilicet vobis nunquam satis. Da mihi meam braccam; nam foras lubet prodire: continuò adero. Cedo tudiculam, insigne artis nostræ: hoc est meum fulmen,

fulmen, & tridens. *P.* Heus Abligurine! ſtatue hydrias (ſitulas) in urnario, & hanc bubulam abluito diligenter, & confricato in labro. *Ab.* Etiámne hîc quoque imperas? Unus Imperator unis caſtris ſufficit; non ſufficiet culinæ unus? Facito ipſe; tu es acrior exactor operæ, quàm ipſe magiſter culinæ. Non vocabo te poſthac piſtillarium, ſed ſtimulum acutum. *P.* Imò voca me Onocentron. Frange tu ergo vitulinam hanc in epixenio. Comminue paulum hujus caſei, ut ſpargamus ſuper hanc offam. *Ab.* Quomodo? Manu? *P.* Non, ſed tyrocneſti, ſeu radulâ. Inſtilla huc guttas aliquot olei ex ampulla: Deſpuma carnes, & fuſcinâ move, ne uſtulentur. Statue hîc mortarium. *Ab.* Quod iſtorum? *P.* Illud æneum, cum piſtillo ejuſdem metalli. *Ab.* Quâ gratiâ? P. Ad terendum petroſelinum hoc. *Ab.* Satius eſt in pila id fieri marmorea, piſtillo ligneo. *P.* Quæſo, cantilla, ſicut conſueviſti. *Ab.*

*Ut ſapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,*
*O quàm ſæpe petet vina pipérq; coquus!*

*P.* Fabiorum an fabrorum? *Ab.* Quære à ludimagiſtro loripede, & pro fabris & Fabiis referes egregium colaphum in gena, vel in bucca. *P.* Siccine eſt homo? *Ab.* Vir ſtrenuus & fortis, & manu promtus; celeritate manuum compenſat linguæ tarditatem. *P.* Cedo urnulam cereviſiariam: exſiccatum habeo palatum, guttur, fauces. *Ab.*

Et

*Et gravis attritâ pendebat cantharus ansâ.*
*Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat avarum,*
*Dic mihi, cur noſtras incipit illa dapes?*

*Ap.* Unde tu didiciſti adeò verſificare? *Ab.* Inſervivi nuper in Calabria ludimagiſtro cuidam poetaſtro, qui ſæpenumero cœnam aliam non dabat mihi, quàm cantillationem centum verſuum, quibus mirificum aiebat ſaporem ineſſe. Ego verò paulum panis & caſei maluiſſem: aquæ erat ſatis domi, & licebat nobis de puteo bibere ex animi ſententia. Inde ego, cùm eſuriens conceſſiſſem cubitum, pro epulis verſus illos ruminabam, & concoquebam: nec mihi aliud viſum eſt remedium ad bulimiam (famem atram) illam depellendam, quàm culinariam arripere. *Ap.* Quæ illi præbebas miniſteria? *Ab.* Quæ Cæſar Reipublicæ. Ego eram illi omnia: eram illi à conſiliis, etſi nihil unquam ageret conſilio: à ſecretis, cùm nihil haberet ſecreti: ego fundebam ipſi aquam lavandis manibus, quas nunquam abluebat: ego ſervabam ei theſaurum. *Ap.* Quem theſaurum? *Ab.* Schedas aliquot peſſimarum cantilenarum, quas tineæ exedebant, & opici mures arrodebant. *Ap.* Docti equidem. Sed dic, amabò, mihi: quodnam cibi genus præ cæteris probas? *Ab.* Egóne? Quod optimè ſapit. *Ap.* Quodnam optimè ſapit? *Ab.* Quo libenter veſcor. *Ap.* Dicis probè.

probé. Quodnam igitur libenter veſceris? *Ab.* Dicam, ſi parare mihi volueris. *Ap.* Tum equidem inſanus ſim, ſi meum defraudans genium, tibi obſoner. Age: Ecquid caro aſſa delectat te? an potiùs elixa? an frixa? an toſta? recens, an infumata? vel potiùs muriatica? *Ab.* Nulla. *Ap.* Quî nulla? *Ab.* Quia nullam habeo: quomodo igitur me delectet? *Ap.* Nugator! Sed ex farciminibus quænam potiſſimùm arridenț? num faliſcus? *Ab.* Quid iſte niſi globus concreti ſanguinis? *Ap.* At apexabo? *Ab.* Ejuſdem farinæ. *Ap.* At tomaculum? *Ab.* Non admodum. *Ap.* Lucanica igitur, aut botulus? *Ab.* Ne id quidem. *Ap.* Omaſum ergo bubulum & opimum? *Ab.* Nunc aliquid dicis. *Ap.* Hem nunc ſcio quomodo tractare te debeam, ſi quando convivio velim excipere. *Ab.* Quin inſtruam te ampliùs, ne fortè fruſtra impenſam facias. Lardum non convenit ſtomacho meo, quare ſuccidiis parces, ſi gratiam à me inire volueris; niſi fortè fruſtula aſſis perdicibus, capis, & columbis affigere velis, ut ſiccitatem aſſaturæ emendent. Cæterùm neſcio quomodo à rapis, & id genus aliis oleribus abhorreo: pulpâ verò, & pulpamentis, ferinis præſertim, leporinis, & anſerinis, impensè delector; ut & ſumine. A panibus frixis, tucetis, laganis, moretis, ovis, ſive ſorbilia ſint, ſive cocta, ſive frixa, libenter

abſtineo, ſi quid habeam lautius. His longè præſero anates feras, turdos, phaſianos, piſciculos frixos, gallinas Africanas ſeu Indicas. Garum ſine piſcibus, iſque elegantibus, non amo. Jus gelatum admitto circa prandii finem. Pulmentum piſorum aliis relinquo. Mala frixa non renuo. Nec pulpamenta piperata rejicio. Ex cupediis, panem Martium, & placentas tortiles, & ſcriblitas accepto. Habes compendio præcipua quæ tibi obſervanda erunt, ſi mihi convivium ſtruere volueris. *Ap.* Omiſiſti unum è præcipuis. *Ab.* Quidnam illud? *Ap.* Ferculum præmittendum è fuſtibus quernis, nodoſis, & bene longis, quo fames acuitur, inunctis lumbis. *Ab.* Apage cum tuo ferculo; hoc modo nolim eſſe tuus conviva. *Ap.* Nec tuo modo ego tuus convivator.

## Colloquium L.

## HORTUS.

*Euſebius, Timotheus, Puer.*

Cùm omnia nunc vernent & rideant in agris, demiror eſſe, qui fumoſis urbibus delectentur. *T.* Non omnes capiuntur aſpectu florum, aut pratorum vernantium, aut fontium amniúmve; aut, ſi capiuntur, eſt aliud quod magis juvet. Ita voluptas voluptate, quaſi clavus clavo pellitur. *E.* Tu mihi fortaſſe fœneratores natras, aut his ſimiles negotiatores avaros. *T.* Iſtos quidem,



dem, sed non solos, O bone; imò cum his innumeros alios, usque ad ipsos sacrificos, & monachos, qui ferè quæstûs gratiâ malunt in urbibus, iisque frequentissimis versari, secuti dogma cœci cujusdam mendici, cui dulce erat premi turbis hominum, quòd diceret, illic esse quæstum ubi esset populus. Socrates Philosophus urbes præferebat agris, quòd esset discendi cupidus, & urbes haberent, unde disceret: in agris quidem esse hortos & arbores, fontes & amnes, qui pascerent oculos, cæterùm nihil loquerentur, ac proinde nihil docerent. *E.* Est nonnihil quod dixit Socrates, si solus obambules in agris. Quanquam meâ sententiâ, non est muta rerum natura, sed undique loquax, multáque docet contemplantem, si nacta fuerit hominem attentum ac docilem. Quid enim clamitat illa tam amœna naturæ vernantis facies, quàm opificis Dei sapientiam ac bonitatem? *T.* Sanè, hoc modo nihil esse potest amœnius rustificatione. *E.* Libet igitur hujus rei periculum facere? Est mihi prædiolum suburbanum, non amplum, sed nitidè cultum: eò vos in crastinum diem ad prandium voco. *T.* Plures sumus, exederemus totum prædium tuum. *E.* Imò totum convivium apponetur herbaceum, ex dapibus, ut inquit Horatius, inemtis. Vinum ipse locus suppeditat; melones, cucumeres, pyra, poma, nuces, ipsæ penè arbores [illegible] gunt,

rigunt, quemadmodum fit in insulis fortunatis, si Luciano credimus. Accedet fortassis è corte gallina. *T.* Age, non recusamus. *E.* Unum illud prælmonitos volo; sibi quisque condimentum suum adferat. *T.* Quod condimentum dicis? piper an saccharum? *E.* Imò aliud vilius, sed suavius. *T.* Quodnam? *E.* Famem. Eam dabit hodie cœna tenuis, cras acuet stomachum ambulatiuncula. Et hoc quoque commodi rusculo meo debebitur. Verùm ad quam horam libet prandere? *T.* Ad decimam, priusquam invalescat æstus solis. *E.* Curabitur. *P.* Here, adsunt convivæ pro foribus. *Eus.* Bonæ fidei est, quòd venistis: sed bis gratum est, quòd venistis maturè; sunt enim quidam inciviliter civiles, qui convivatorem suâ morâ torquent. *T.* Eò maturiùs venimus, ut esset otium lustrandi visendique regiam istam tuam, quam audimus miris deliciis variam, nusquam non testari domini sui ingenium. *E.* Regiam spectabitis dignam tali Rege. Mihi certè nidulus est quâvis regiâ gratior. Et, si regnat, qui liberè vivit ex animi sui sententia, hîc planè regno. Sed præstat, opinor, interim dum culinæ præfecta parat oluscul um, & adhuc moderatus est solis calor, visere hortos nostros. *T.* Est alius præter hunc? Nam hic sanè mirè cultus, blandissimo aspectu statim

tim ingredientes ſalutat, & comiter excipit. *E.* Hinc igitur decerpat ſibi quiſque floſculos ac frondes aliquot, ne quid offendat domûs pædor. Non idem odor æquè gratus omnibus: quare ſibi quiſque deligat. Ne parcite; nam quidquid hîc naſcitur, pene publicum eſſe patior. *T.* Papæ, quantum amœnitatis! *E.* Totus hic locus voluptati dicatus eſt, ſed honeſtæ, paſcendis oculis, recreandis naribus, reficiendis animis. Nihil hîc ferè naſcitur præter adoratas herbas, nec eas quaſlibet, ſed eximias duntaxat. Unumquodque genus ſuas habet areas. *T.* Nec herbæ mutæ ſunt apud te, ut video. Nam, ut ſunt velut in turmas digeſtæ, ita ſingulæ turmæ ſingula habent vexilla cum inſcriptione. Itidem ſingula genera habent ſuos titulos, aliquid indicantes, quod ad peculiarem ejus herbæ vim pertinet. *E.* Probè dicis. En roſmarinus hic, fragrantiſſimi odoris, ut denſis ramuſculis ſubcrevit! Amaracus ſeu majorana ſuaviſſimæ fragrantiæ! *T.* Quid inſcriptum eſt? *E.* Quid ſui cum amaracino? Sues enim hoc odore vehementer offenduntur. *T.* Proinde colligo, me non eſſe ſuem, qui impensè hoc odore delecter. *E.* En lavendulam, cujus flores cærulei ſuaviùs etiam ſpirant quàm herba. *T.* De pulegio hoc libet decerpere, dicitur enim arcere dolorem capitis, & ſuccurrere deliquio animi.

*E.* Salvia quoque, & roſmarinus eo nomine laudantur. *T.* Menta ſtomachum juvare dicitur; decerpam hinc quoque. *E.* Vin' & de hyſſopo? ſive de albo flore malis, ſeu cæruleo. Serpilli odor nimis vehemens eſt: Ocimum gratius. *T.* Odor ejus jucundè gravis eſt. Sed quid ruta inter tam odoratas herbas, ipſa inſuavis admodum odoris? *E.* Aiunt à bufonibus expeti ſalviam, indéque non rarò veneno infici: eos ruta abigit & arcet; nam mirè venenis reſiſtit. Sed quid attinet cætera omnia perluſtrare, cùm vulgaria ſint? ut artemiſia, ſatureia, narciſſus, bellis flore multiplicato, ranunculus flore pleno, flos caryophyllorum ſeu betonica coronaria, flore rubeo, purpureo, albo, varicolore; quo in genere mirum naturæ luſum interdum videas, in variatione colorum multiformi. Sed tranſeamus ad hortum olitorium: culinæ iſte dicatus eſt, in quo regnat uxor & famula mea; itaque curſim permeabimus. Hîc ſingulæ areæ ſua olera prodeunt; paſtinacam, rapas, napos, cepas, allia, porra, acetoſam braſſicam, betam, braſſicam capitatam, aſparagum, portulacam, lactucam, ſtrobilum, intubum, chærefolium, naſturtium, fœniculum, anethum, petroſelinum, apium, cuminum, aniſum, piſa, fabas, lupinos, raphanum, lentes, milium, inulam, lupulum, apiaſtrum, & ejus generis alia. *T.* Nihil adhuc

huc vidi hoc fonticulo festivius, qui medius veluti arridet herbis omnibus, ac refrigerium illis pollicetur adversus æstum. Sed alveolus hic, qui tantâ gratiâ totam aquam ostendit oculis hominum, hinc atque hinc æquis spatiis hortum dirimens, in quo sese utrinque herbæ velut in speculo contemplari gestiunt, num marmoreus est? *E.* Bona verba: Unde huc marmor? E contusis cœmentis factitium marmor est; coloris candor additus est incrustamento. *T.* Quò tandem sese condit tam amabilis rivus? *E.* Vide incivilitatem humanam! Posteaquam hic satis exhilaravit oculos nostros, proluit culinam, ejúsque sordes secum defert in cloacam. *T.* Crudele! *E.* Atqui aquâ non abutimur, si partimur in varios usus, in quos illam dedit is, qui nihil non affatim subpeditat usibus humanis. *T.* Vera sunt quæ dicis. Sed cur tibi virent etiam horti septa manufacta? *E.* Nequid hic non vireat. Quidam rubra malunt, quòd is color additus virentibus, gratiam adjungit: hic mihi magis arridet, ut est sua cuique sententia. Sed progrediamur ad pomarium, & arboretum. Deducam vos per ambulacra hæc utrinque consita vitibus, quæ jugatæ, & pedatæ, palmites in sublime protensos umbrosis amplexibus miscent, & racemos undiquaque promicantes ostentant. *T.* Jucundissimum spectaculum! En ut è sublimi propen-

dentes uvæ, capitibus noſtris imminent! Quid amabilius, quàm maturas è tali loco decerpere? *E.* Imò licebit quamprimum maturuerint, ſi modò libeat. Hîc videtis ſcenas nativas ex conjunctis & implexis palmitum, & aliorum ramorum frondibus. In his vel ſtudeo, vel cibum capio, ſi videtur. Hîc æſtivarium eſt. *T.* Columnæ paribus intervallis ſuſtinentes ædificium innitens, mirâque colorum varietate blandientes, ſúntne marmoreæ? *E.* Ex eodem marmore quo factus eſt hic alveus. *T.* Lepida profectò impoſtura! Vel dejerâſſem eſſe marmor. *E.* Quare cave, ne vel credas, vel dejeres quidquam temere. Non rarò fallit ſpecies. Quod opibus deeſt, arte ſarcimus. *T.* Illic in æſtivario video elegantiſſimas picturas. Non tibi ſat erat hortus tam nitidus, tam excultus, niſi pingeres inſuper alios hortos? *E.* Non capiebat omnes herbarum ſpecies unus hortus. Præterea, bis delectamur, quum pictum florem cum vivo decertantem videmus, & in altero miramur artificium naturæ, in altero pictoris ingenium, in utroque benignitatem Dei, qui in uſum noſtrum largitur hæc omnia. Poſtremò, non ſemper viret hortus: hic hortus etjam mediâ brumâ viret & adblanditur. *T.* At non ſpirat. *E.* Sed rurſum non eget culturâ. *T.* Tantùm paſcit oculos. *E.* Verum; ſed hoc perpetuò facit. *T.* En,

ut violam iſtam purpuream ad vivum pictor expreſſit! jurares nativam eſſe. Et roſam illam flore pleno albam: rubram item, & Alabandicam, quin & roſam caninam ſeu ſylveſtrem, cui quidem impoſuit papilionem, aliis muſcas, & crabrones, & veſpas, feſtivâ imitatione. Hoc lilium etiam elegantiſſimè depictum eſt, cum ſcapo ſuo & bulbo. In iride hac planè ſuperavit naturam artificis induſtria. Lilio indidit cantharidem; quod genus inſecti amat inſidere liliis. *E.* Quid hoc lilium convallium? nonne egregiè expreſſum eſt? *T.* Utinam & odorem addere potuiſſet, utì colorem! *E.* En urtica hîc impunè attrectatur. *T.* Etiam cardui. *E.* Abſynthium etiam hîc non offendit nares. *T.* Deum immortalem, quæ gratia colorum! Color albus, candidus, flavus, fulvus, rutilus, ruber, purpureus, helvus, linteus, fuſcus, puniceus, cæruleus, viridis, niger, ater; & horum omnium mixturæ admodum variæ. Video illic & depictum nemus, ac ſylvam, & ſaltum. *E.* Hoc nemus, quod videtis hoc toto pariete, exhibet varium ſpectaculum. Primùm, quot videtis arbores, tot videtis arborum genera, ſingulis ad nativam imaginem non peſſimè expreſſis. Dehinc, quot cernitis aves, tot videtis avium ſpecies. Infernè ſunt quadrupedum ſpecies, aut earum avium quæ vivunt humi, more quadrupedum. *T.* Mira varietas! Contem-

plemur ſingula propiùs. Nam mihi quidem non ſufficit, per tranſennam aſpexiſſe, ut dicitur. Arbores noſtrates priore loco poſuit: Quercum primam omnium; fortè juxta veterum monumenta, quæ tradunt homines glandibus victitâſſe, nondum frugibus inventis: primi enim homines creditì ſunt nec triticum, nec ſiliginem, nec hordeum, aut avenam cognoviſſe. Subdidit quercui ſuem, glandibus amicam. Inde fagum; & Caſtaneam, cujus fructus anſeribus aſſandis inditus, vulgò in deliciis eſt. Corticem aſperum & ſcabrum in hac pyro pulcrè effinxit: et viſcum, eidem adnaſci ſolitum, quo capiuntur aves. Stirps Juniperi hujus videtur æquo craſſior. *E.* Sunt nonnunquam tales, licèt raró. *T.* Hæc malus, ceraſus, prunus, malus cotonea, perſica, morus, ſambucus, oliva, egregiè expreſſæ ſunt. *E.* Et baccæ iſtæ, ſeu acini purpurei in ſambuco, naturam ad vivum æmulantur. *T.* Quid ſalix iſta, è qua ruſticus vimina decidit, magno conatu librans ictum? *E.* Magno, ſed irrito: nunquam enim reſecabit. *T.* Euge, medicina puerorum laſcivientium, betula. En arbutus, cum fructu ſuo arbuto pulcrè rubenti. Inde alnus, & ulmus, & ornus, & populus, & abies, & buxus ſemper virens, & acer, & tilia, & juglans, & corylus infeſta ſerpentibus, virgis enim ex hac arbore icti torpeſcunt. *E.* Ita aiunt: et ob id haud dubiè pictor

appoſuit

appoſuit ſerpentem fugientem. Cæteras arbores peregrinas, ut palmam victricem, & laurum, & platanum, & reliquas, non libet perſequi. *T.* Nec tempus ſuppetit. Jamdudum enim inclamat fiſtula, prandium eſſe paratum. *E.* Ego verò hinc avelli me non patiar, donec cæteras perluſtraverim avium, & quadrupedum picturas. Hîc uno intuitu conſpicor omne avium genus, miro artificio in unicam tabulam concluſum. Primùm aquilam, cum hoſte ſuo ſcarabeo, & regulo; dehinc paſſerem, hirundinem, merulam, turdum, turdelam, parum, fringillam, carduelem, linariam, luſciniam, cuculum, picum, picam, corvum, cornicem, ligurinum, veſpertilionem, gruem, ciconiam, monedulam, upupam, noctuam, columbam, ſturnum, turturem, palumbem, coturnicem, caſſitam, perdicem, ardeam, anſerem, anatem, motacillam, querquedulam, gallum, gallinam cum pullis, capum, pavonem: item rapaces, aquilam, accipitrem, milvum, vulturem, falconem, & alias. Inferiùs occurrunt mihi feroces beſtiæ. Bene habet quòd non vivæ, alioquin malè me acceptúræ. Illinc faucibus hiantibus inſurgit leo; iſthinc rictu diducto anhelat lupus; hinc urſus, pardus, aper. Illic ſedet ridicula ſimia, iſtic delitéſcit lepus, ibi gallinis inſidiatur vulpes, ibi ſciurus rodit nucem, ibi mus petit cavernam, illic capra, & hircus, & hœdus carpunt ſaliceſ, iſtic cervus attra-

cto

attracto naribus ſerpente fugit ad aquas, illic caprea incidit in caſſes, iſtic mactatur porcus, illic tondetur ovis, hîc fuſtigatur aſinus ad molam actus, & rudenti ſimilis, immane quantum os diſtendit, videor penè audire inconditum clamorem, ita affabre pinxit artifex. Hic equus excutit ſeſſorem, ille caballus ferociens hinnit, allatrat canis. Ecce autem felis ſibilis conſpuit alterum illum canem, & aduncos ungues naribus illius impactos illidit. Illic bos arat, taurus & vacca paſcuntur cum vitulis, aries & vervex paſcuntur ſeorſim cum agnis, ibi ſunt greges & armenta, magni precii ſi viverent. Tum belluæ iſtæ immanes, elephantus, & camelus terrorem incutiunt vel ſolo aſſpectu: nec minùs puſillus iſte ſcorpio. Iſta aranea in aëre pendula telam texit, ſed nunquam pertexet. Formica iſthæc mordicus arreptum ingens granum ad antrum protrudit: ac cicada ſecura byemis, interea ſaltitat. *E.* Nondum cepit ſpectandi ſatietas? *T.* Méne? Spectaculum hoc eſt mihi quovis prandio gratius. Quæſo ne meâ causâ vobiſmet ſitis in mora. Reſtant piſces mihi contemplandi. Vos ite. *E.* Non erit gravis hæc morula. Et ignitabulo medebimur cibis, ſi fortè refrixerint. *T.* Ecce voracem lucium captantem minutos piſciculos; et percam aculeatam, carpionem, cancrum retrogradum, cum ſuis chelis, truttam auratam, cui nonnulli primas

inter

inter piſces tribuunt, alburnum, viliſſimum penè omnium, fundulum item, & gobium, & grandem iſtum mullum, quem barbum quidam appellant. *E.* Quænam præcipuæ deliciæ ſunt in piſcibus? *T.* In lucio & muſtela jecur, in barbo mandibula utraque, in carpione lingua, haberi ſolent in deliciis. *E.* Quibuſnam piſcibus tu primas adjudicas? *T.* Mihi verò in exiguo ſunt diſcrimine; quiſquis ferè prior obvenit, eo perinde ac optimo veſcor. *E.* Vidi, qui anguillis prorſus abſtinebant. *T.* Multis nihil videtur delicatius. Quidam etiam muſtelis abhorrent, eò quòd ranis non ſint abſimiles à parte anteriori. *E.* Quid diſcriminis eſt inter ſalmonem & eſocem? *T.* Salmo eſt recens, eſox eſt ſalitus. *E.* Quid de tenca ſentis? *T.* Aiunt eſſe piſcem limoſum, & inſalubrem; velut omnes ſalitos, ſalpam, aſellum, halecem; & infumatos, ut arengam, paſſerem. Sed & quatuor tempeſtates anni illic conſpicor; Ver, Æſtatem, Autumnum, & Hyemem. Et duodecim menſes; Januarium, Februarium, Martium, Aprilem, Majum, Junium, Julium, Auguſtum, Septembrem, Octobrem, Novembrem, Decembrem, ſingulos ſeparatim occupatos opere ſibi congruo. Sed finem facio, ne patientiâ veſtrâ abutar. Dies me deficeret, ſi ſingula exactè contemplari vellem. *E.* Hîc ad lævam eſt pratum liberum, præter virorem graminum nihil habens. *T.* Atqui viror hic oculos mirificè

rificè recreat. *E.* Septum est sepe perpetuâ, è spinis implexis, sed vivis, contexta. Ad dextram tandem est pomarium, in quo, cùm erit otium, videbitis plurimas arbores peregrinas, quas paulatim doceo cœlo nostro adsuescere. Ultra illud est hortus medicinalis, in quem quidquid est insignium herbarum medicarum congessi. *T.* Papæ! Næ tu vincis vel ipsum Alcinoum. *E.* Hîc aviarium est in confinio, adhærens ambulacro superiori quod videbitis à prandio: audietis miros concentus. Sunt omnes aviculæ adeò cicures, ut si quando cœno, illic apertâ fenestrâ, devolent in mensam, cibúmq; vel è manibus capiant: adeò dedidicerunt timere, quia sentiunt neminem lædere. In extremo pomario apum regnum est. Nec illud sanè spectaculum inamœnum; videre alias evolantes ex alvearibus, alias redeuntes, cum onustis succo crusculis, alias prodeuntes identidem, & provolventes, si quid obstaculi animadverterint, alias insidentes floribus, colligentes succum melleum. Sed in præsentia non sinam vos ampliùs inspectare, quò fit quod vos posthac revocet, tanquam ad novum spectaculum. Aliàs, his singularim & per otium contemplandis dabitur vel totum triduum. Nunc ad prandium, si placet, eamus. *T.* Quando ita vis, equidem non recuso. *E.* Ut est diei tempus, non convenit differri longiùs.

Collo-

## Colloquium LI.

## ABSURDA.

*Annius, Leucius.*

Audio te interfuiſſe nuptiis Pancratii & Albinæ. *Le.* Nunquam antehac infeliciùs navigavi, quàm hoc tempore. *An.* Quid ais? tantam fuiſſe hominum frequentiam? *Le.* Nec unquam mihi vilior fuit vita, quàm id temporis. *An.* Vide quid faciant opes. Ad meas nuptias pauci convenirent, idque tenues. *Le.* Vix fueramus ingreſſi pelagus, ortus eſt ingens turbo. *An.* Narras deorum cœtum. Tótne aderant viri principes, tot matronæ nobiles? *Le.* Boreas diſſecuit velum, diſſectúmque diſſipavit. *An.* Deſponſam novi. Nihil fingi poteſt venuſtius. *Le.* Mox fluctus revulſit clavum. *An.* Idem videtur omnibus. Nec ſponſus admodum illi cedit, ut aiunt, formæ gratiâ. *Le.* Quid animi cenſes nobis illic fuiſſe? *An.* Sanè rarum nunc eſt virgines nubere. *Le.* Remigandum nobis erat. *An.* Dotem vix credibilem narras. *Le.* Ecce mox aliud malum. *An.* Cur puellam impuberem commiſerunt tam feroci? *Le.* Apparuit piratarum navis. *An.* Profectò ſic eſt; in multis nequitia ſupplet ætatem. *Le.* Ibi nobis geminum fuit bellum, alterum cum mari, alterum cum prædonibus. *An.* Hui tantum donariorum? Interim pauperibus nemo dat feſtucam. *Le.* Quid? cederemus?

remus? Imò desperatio vitæ addebat animos. *An.* Vereor ne sint steriles nuptiæ, si vera prædicas. *Le.* Imò injecimus harpagones. *An.* O rem novam! ante nuptias gravida? *Le.* Si spectâsses eum conflictum, fatereris me non esse fœminam. *An.* Ut audio, conjugium hoc non solùm ratum est, sed etiam consummatum. *Le.* Insiluimus in navim piraticam. *An.* At demiror te vocatum alienum, me præterito, qui tertio propinquitatis gradu sponsæ patrem contingo. *Le.* Ipsos in mare præcipites dedimus. *An.* Vera prædicas; infelicium nulli sunt affines. *Le.* Quidquid erat prædæ, inter nos partiti sumus. *An.* Expostulabo cum puella primo quoque tempore. *Le.* Mox exorta est subita tranquillitas: dixisses esse Alcedonia. *An.* Si illi res est, mihi est animus. Nihil moror illius benevolentiam. *Le.* Ita pro una duas naves in portum deduximus. *An.* Indignetur quid alit. *Le.* Quò eam, togas? in templum, veli partem dicaturus divo Nicolao. *An.* Hodie non est liberum mihi, nam ipse domi convivas exspecto; aliàs non excusabo.

## Colloquium LII.

## DE REBUS AC VOCABULIS.

*Beatus, Bonifacius.*

Salvus sit Bonifacius. *Bo.* Etiam atque etiam salvus sit Beatus. Sed utinam essemus uterque

uterque quod dicimur, tu dives, ego formosus. *Be.* Itáne parùm tibi videtur, habere nomen magnificum? *Bo.* Mihi quidem minimi momenti, nisi res adsit. *Be.* At plerique mortales aliter affecti sunt. *Bo.* Fieri potest ut mortales sint isti; homines esse non credo. *Be.* Et homines sunt, O bone, nisi putas etiam nunc sub humana specie camelos & asinos ebambulare. *Bo.* Hoc citiùs crediderim, quàm homines esse, qui pluris nomen faciant quàm rem. *Be.* In certis rerum generibus, fateor, plerique malunt rem quàm nomen; in multis contrà. *Bo.* Hoc quid sit, non satis adsequor. *Be.* Atqui penes nos ipsos exemplum est. Tu Bonifacius diceris, & habes quod diceris: sed si esses alterutro spoliandus, utrùm malles habere malam faciem, an pro Bonifacio dici Cornelius? *Bo.* Equidem malim vel Thersites dici, quàm habere prodigiosam faciem: an bonam habeam, nescio. *Be.* Item ego si dives essem, & aut res, aut nomen esset deponendum, malim Irus dici, quàm re spoliari. *Bo.* Adsentior vera loquenti. *Be.* Idem usu veniet, opinor, in his qui sunt prosperâ valetudine, aut aliis corporis præditi commodis. *Bo.* Probabile est. *Be.* At quàm multos videmus, qui mallent nomen eruditi pióque viri, quàm esse docti boníq; ! *Bo.* Plurimos istiusmodi novi. *Be.* An non apud nos plus habet momenti nomen, quàm res? *Bo.* Videtur. *Be.* Jam si quis nobis adesset Dialecticus, qui scitè definiret, quid

quid sit Rex, quid Episcopus, quid Magistratus, quid Philosophus; fortassis & hîc inveniremus qui mallent nomen, quàm rem. *Bo.* Ita profectò, si Rex est, qui legibus & æquitate populi commodum spectat, non suum: si Episcopus, qui totus invigilat gregi Dominico: & si Magistratus est, qui ex animo consulit Reipubl. & si Philosophus est, qui neglectis fortunæ commodis, tantùm studet bonæ menti parandæ. *Be.* Hîc vides, quantum hujus generis exemplorum possim aggerere. *Bo.* Sanè plurimùm. *Be.* An hos omnes negabis esse homines? *Bo.* Vereor ne nos ipsi citiùs nomen hominis amittamus. *Be* At si homo est animal rationale, quantum abest hoc à ratione, ut in corporis commodis veriùs quàm bonis, & in externis, quæ fortuna dat simul & eripit cùm libet, rem malimus, quàm nomen; in veris animi bonis nomen pluris faciamus, quàm rem? *Bo.* Præposterum mehercule judicium, si quis attendat. *Be.* Eadem est ratio in contrariis. *Bo.* Exspecto quid dicas. *Be.* Idem judicandum de nominibus rerum fugiendarum, quod dictum est de vocabulis expetendarum. *Bo.* Apparet. *Be.* Magis enim horrendum est esse tyrannum, quàm tyranni nomen: & si malus Episcopus, juxta sententiam Evangelicam, fur est & latro, non tam hæc nomina sunt nobis detestanda, quàm ipsa res. *Bo.* Convenit sanè. *Be.* Tu de cæteris similiter colligito. *Bo.* Prorsus intelligo. *Be.* Nonne

fatui

fatui nomen aversantur omnes? *Bo.* Et quidem maximé. *Be.* Nonne fatuus esset qui aureo piscaretur hamo, qui vitrum anteponeret gemmis, qui cariores haberet equos quam uxorem ac liberos? *Bo.* Is esset quovis Corœbo stultior. *Be.* An non tales sunt qui procurrunt in militiam, spe lucri non admodum magni, corpus & animam exponentes periculo: qui studeant congerendis opibus, cùm animum habeant omnium bonarum rerum egenum: qui vestes & ædes exornant cùm animus neglectus ac squallidus jaceat: qui corporis valetudinem anxiè tuentur, animam tot capitalibus morbis laborantem negligunt: denique qui fugacissimis hujus vitæ voluptatibus cruciatus merentur æternos? *Bo.* Ipsa ratio fateri cogit, plusquam fatuos esse. *Be.* Atqui his fatuis cum plena sint omnia, vix invenias qui ferre possint vocabulũ, cùm adeò non abhorreant à re. *Bo.* Sic est profectó. *Be.* Age, scis quam sint apud omnes invisa vocabula mendacis ac furis. *Bo.* Sunt invisissima, nec sine causa. *Be.* Fateor. Sed cum stuprare conjuges alienas sit furto sceleratius, tamen adulteri cognomine quidam etiam gloriantur, ad furti convicium ilico stricturi gladium. *Bo.* Ita res habet apud complures. *Be.* Ita cùm multi scortis vinóque perditissimi sint, & sint libenter ac palàm, tamen ad ganeonis nomen offenduntur. *Bo.* Hi nimirum rem sibi gloriæ ducunt, cùm vocem rei debitam horreant. *Be.* Sed vix aliud nomen auribus nostris videtur into-

lerabilius, quàm mendacis. *Bo.* Novi qui hoc convicium cæde sint ulti. *Be.* Sed utinam pariter abominentur rem! Nunquam accidit tibi, ut, qui promiserat se mutuum ad certum diem redditurum, falleret? *Bo.* Frequenter, etiam cum id dejerâsset; neque id semel, sed iterum atque iterum. *Be.* Fortasse non erant solvendo. *Bo.* Imò erant, sed commodius esse ducebant non reddere creditum. *Be.* An hoc non est mentiri? *Bo.* Planissimè. *Be.* Auderes istiusmodi creditorem sic compellare; Cur mihi toties mentiris? *Bo.* Non; nisi paratus essem ad pugnam. *Be.* An non simili modo quotidie verba dant latomi, fabri, aurifices & vestiarii, pollicentes ad certum diem, nec tamen præstantes, etiamsi magni referat tuâ? *Bo.* Mirâ impudentiâ! sed adde his advocatos pollicentes operam. *Be.* Potes addere sexcenta nomina: nemo tamen horum laturus sit mendacis vocabulum. *Bo.* Hoc genere mendaciorum plena sunt omnia. *Be.* Itidem furis nomen nemo tolerat, cùm à re non perinde omnes abhorreant. *Bo.* Exspecto ut dicas clariùs. *Be.* Quid interest inter eum qui rem tuam tollit è scrinio, & inter eum qui depositum abjurat? *Bo.* Nihil, nisi quòd sceleratior est, qui spoliat etiam fidentem. *Be.* At quàm pauci sunt, qui depositum reddunt; aut si reddunt, non dant integrum? *Bo.* Opinor esse perpaucos. *Be.* Nemo tamen istorum ferat furis vocabulum, cùm rem non horreant. *Bo.* Admodum. *Be.* Jam mihi reputa, quid vulgò fiat

in tractandis pupillorum bonis, in teſtamentis ac legatis, quantum hæreat digitis tractantium. *Bo.* Frequenter totum. *Be.* Furtum amant, vocabulum deteſtantur. *Bo.* Maximè. *Be.* Quid agant, qui res fiſci tractant, qui monetam publicam cudunt deteriorem, qui nunc auctâ, nunc diminutâ nummorum æſtimatione, privatorum rem accîdunt, fortaſſe nobis non admodum liquet: de his, quæ quotidie experimur, loqui fas eſt. Qui ſumit mutuum, aut qui conflat æs alienum hoc animo, ut reddat, ſi liceat, nunquam; quantulum abeſt à fure? *Bo.* Cautior fortaſſe dici poteſt, melior nequaquam. *Be.* At horum cùm ingens ubiq; ſit numerus, nemo tamen tolerat furis nomen. *Bo.* Animum ſolus Deus novit; proinde apud homines obærati vocantur, non fures. *Be.* Quantuli refert, quo nomine dicantur apud homines, modo ſint fures apud Deum? certè ſuus cuique notus eſt animus. Ad hæc, qui, cùm debeat multum, quod obtigit pecuniæ nequiter prodigit; qui, poſteaquam decoxit in una civitate, deluſis creditoribus, fugit in aliam, hoſpites quærens quibus imponat, idque facit crebriùs; nonne ſatis declarat quo ſit animo? *Bo.* Satis ſupéque. Sed tamen iſti ſolent fucare colore quod faciunt. *Be.* Quonam? *Bo.* Multũ multíſque debere, prædicant ſibi cum magnatibus, atq; adeò Regibus, eſſe commune; eóque qui ſunt hoc ingenio præditi, ferè nobilitatis opinionem affectant.

*Be.*

*Be.* In quem uſum? *Bo.* Dictu mirum, quantum equiti licere velint. *Be.* Quo jure? quibus legibus? *Bo.* Haud aliis quàm quibus præfecti maris vindicant ſibi quidquid ejectum eſt naufragio, etiamſi exſtet dominus: quibus alii ſuum eſſe volunt, quidquid apud furem aut prædonem deprehenderint. *Be.* Iſtiuſmodi leges poſſent ipſi fures condere. *Bo.* Et facerent, ſi queant tueri; & haberent quod excuſarent, ſi bellum indicant priùs, quàm furentur. *Be.* Quis hoc juris dedit equiti potiùs, quàm pediti? *Bo.* Militiæ favor. Sic enim exercentur ad bellum, quò promtiores ſint ad ſpoliandum hoſtem. *Be.* Sic, opinor, Pyrrhus exercebat ſuos ad bellum. *Bo.* Non, ſed Lacedæmonii. *Be.* Abeant in malam crucem cum ſuo exercitio. Sed unde nomen hoc tantæ prærogativæ? *Bo.* Quibuſdam obvenit à majoribus, alii mercantur ære, quidam adſciſcunt. *Be.* An licet adſciſcere cuilibet? *Bo.* Licet, ſi mores reſpondeant. *Be.* Quî? *Bo.* Si nihil bonæ rei gerat, ſi ſplendidè veſtiatur, ſi incedat annulatus, ſi gnaviter ſcortetur, ſi aleam ludat aſſiduè, ſi certet chartis, ſi compotationibus ac voluptatibus ætatem abſumat, ſi nihil loquatur plebeium, ſed arces, pugnas, ac bella mera crepet, Thraſonica omnia. Iſti ſibi permittunt bellum, cui velint, indicere; etiamſi pedem ubi ponant, non habeant. *Be.* Equites mihi narras equuleo dignus. Atqui tales habet non paucos Sicambria.

IN-

IN


S
II.
III.
IV.
V.
VI.
VII
VII
IX.
X.
XI.
XII
XII
XI
XV
XV
XV
XV
X
XX
XX
XX
XX
XX
XX

# INDEX COLLOQUIORUM

## Primæ Partis.

### COLLOQUIUM I.


*Surrectio matutina*: Schottenii pag. 1.
II. *Veſtitus*: I. Vivis 2
III. *Salutatio matutina*; Ejuſdem 5
IV. *Fuſſa berilia*: Eraſmi 7
V. *Fuſſa alia*: Ejuſdem 9
VI. *Euntes ad ludum literarium*: Vivis 10
VII. *Monita Præceptoris*: Eraſmi 15
VIII. *Scriptio*: Ejuſdem 17
IX. *Confabulatio domeſtica*: Ejuſdem 18
X. *Jentaculum*: Schottenii 20
XI. *Prandium*: Vivis 22
XII. *Fructus novelli*: Schottenii 33
XIII. *Nundinæ*: Ejuſdem 35
XIV. *Peregrinatio*: Eraſmi 36
XV. *Luſûs venia*: Ejuſdem 41
XVI. *Luſus pilæ*: Ejuſdem 43
XVII. *Luſus globorum miſſilium*: Ejuſdem 46
XVIII. *Luſus globorum per annulum*: Ejuſdem 48
XIX. *Luſus ſaltûs*: Ejuſdem 50
XX. *Recreatio varia*: Ejuſdem 52
XXI. *Infortunium*: Ejuſdem 53
XXII. *Confabulatio otioſa*: Ejuſdem 55
XXIII. *Cœna*: Ejuſdem 56
XXIV. *Lucubratio*: Vivis 77
XXV. *Cubiculum*: Schottenii 82


Secundæ

Colloquium XXVI.

*Veſtitus accuratior*: Vivis 83
XXVII. *Deambulatio*: Ejuſdem 89
XXVIII. *Diluculum*: Eraſmi 92
XXIX. *Scriptionis requiſita*: Vivis 101
XXX. *Equeſtria*: Eraſmi 106
XXXI. *Talio*: Ejuſdem 107
XXXII. *Iter*: Vivis 112
XXXIII. *Diverſoria*: Eraſmi 118
XXXIV. *Opulentia ſordida*: Ejuſdem 127
XXXV. *Valetudo proſpera*: Ejuſdem 141
XXXVI. *Valetudo adverſa*: Ejuſdem 143
XXXVII. *Fruſtratio ſpei*: Ejuſdem 146
XXXVIII. *Redux*: Ejuſdem 148
XXXIX. *Emtio & venditio*: Ejuſdem 149
XL. *Precium*: Ejuſdem 151
XLI. *Spectrum*: Ejuſdem 152
XLII. *Redux è militia*: Ejuſdem 164
XLIII. *Redux ab Hieroſolymis*: Ejuſdem 168
XLIV. *Naufragium*: Ejuſdem 172
XLV. *Convivium fabuloſum*: Ejuſdem 183
XLVI. *Convivium ſobrium*: Ejuſdem 195
XLVII. *Domus*: Vivis 201
XLVIII. *Cœnaculum*: Ejuſdem 206
XLIX. *Culina*: Ejuſdem 210
L. *Hortus*: Eraſmi 216
LI. *Abſurda*: Ejuſdem 219
LII. *Res & Vocabula*: Ejuſdem 230

FINIS.

BIBLIOTECA